

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXII - N. 1

2000

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2000

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Iudices, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
---	---

ACTA SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Litterae Congregationis de recursu ut puellam ob maturitatem suam et profectum fidei ad sacramentum confirmationis admittitur.	12
---	----

ACTA CONSILII

DECRETUM de recursu super congruentia inter legem particularem et normam codicalem	15
QUAESTIONES QUaedam studio Pontificii Consilii submissae	23

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio X)	26
Coetus studiorum « De Sacramentis » (Sessio XI)	84
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	149

COETUS STUDIORUM
« DE SACRAMENTIS »

Sessio XI

(dd. 29 januarii – 2 februarii 1973 habita)

Diebus 29 januarii – 2 februarii 1973, in aulam Sedis Commissionis Pontificiae Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas, normas CIC de Sacramentis (excepto sacramento matrimonii).

Convenerunt in aulam inde ab hora 9,30 diei 29 januarii 1973: Exc.mi DD. Oldani, Schneider et Trochta; Ill.mi ac Rev.mi DD. Sessolo, Medina, Carbone, M'Bunga; Rev.mi PP. Leite, Semmelroth, Abellan et Rev.mus D.nus Onclin, Commissionis Secretarius adiunctus, qui munere praesidis functus est, atque Rev.dus Nicolaus Pavoni, adiutor a studiis.

Non adfuerunt Exc.mi DD. Matulaitis-Labukas, Vaivods, Charue et Rev.mus Rybczyk, legitime impediti.

Quaestio proposita in hac sessione tractanda erat: altera recognitio omnium canonum de sacramentis, in specie iterum recognitio canonum de ordine (cann. 948-1011).

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM
« DE ORDINE »

Can. 192 (CIC 948)


Rev. primus Consultor proponit ut loco verborum « tanquam doctrinae magistri » dicatur: « tanquam ministri verbi, cultus et gubernationis ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod verba « tanquam doctrinae magistri » habentur in Const. dogm. *Lumen Gentium*.

Rev.mus Secundus Consultor declarat quod vox « Magister » diverso modo significat munus Episcopi, sacerdotis et diaconi.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur: « ...munere adimplentes docendi, sanctificandi et regendi, Dei populum pascant ».

Rev.mus primus Consultor declarat quod explicite sermo fieri debet de annuntiatione verbi Dei ut munus eorum qui pascere debent populum Dei.



Rev.mus tertius Consultor declarat quod in textu mentio fieri debet:

- 1) de annuntiatione verbi Dei de qua sermo fit non tantum in declarationibus doctrinalibus sed etiam in liturgia;
- 2) de diversitate inter munera Episcopi, presbyteri et diaconi.

Rev.mus Secretarius ad. proponit verba sequentia: «...munera adimplentes evangelium praedicandi, fideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei populum pascant».

Placet omnibus haec emendatio.

Exc.mus quartus Consultor proponit ut verbum «deputantur» supprimatur. Ratio est: ordo seu ordinatio sacra radicalem tantum ex communi persuasione capacitatem seu «deputationem» confert, dum alius actus *auctoritatis* in societate ecclesiali requiritur, quo vera *missio, facultas* confertur, seu habilitatur; principium auctoritatis et ordinationis socialis salvum redditur; tandem finis ordinationis sacrae sufficienter in hoc loco enuntiatur per verbum «*constituit*». Subintelligitur finalitas «ad quid».

Respondent Rev.mi Secretarius ad. et primus Consultor quod deputatio per ordinationem iam fit.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut supprimatur verbum «scilicet».

Placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut ponatur in textu, ante «deputantur», verbum «consecrantur», quia Ecclesia potest mera actione iuridica deputare.

Concordant Rev. tertius Consultor et omnes alli de suggestionem Rev.mi Secretarii ad.

Rev.mus sextus Consultor proponit «ita» loco «eodem»; quod non placet. Itaque textus erit:

«Sacramento ordinis ex Christi institutione inter christifideles quidam constituuntur sacri ministri seu clerici, qui nempe eodem consecrantur et deputantur ut in persona Christi munera adimplentes Evangelium annuntiandi, christifideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei populum pascant».

Can. 193 (CIC 949)

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur loco «ordines» «ordinis gradus».

Respondet Rev.mus primus Consultor quod servandus est textus uti est, quia in verbo «ordines» etiam «gradus» includitur.

Textus placet omnibus uti est.

Caput I

DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 194 (CIC 951)

Exc.mus octavus Consultor proponit ut supprimatur verbum «ordinarius».

Rev.mus tertius Consultor consentit ut verbum «ordinarius» deleatur quia distinctio inter ministrum ordinarium et extraordinarium amplius locum non habet. Ipse ponit quaestionem an posset dari alicui sacerdoti facultas conferendi ordinem; est tamen exceptio, qua allegari non debet.

Placet omnibus ut verbum «ordinarius» supprimatur. De reliquo, textus placet omnibus uti est.

Can. 195 (CIC 953)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «vi sacramentalis ordinationis» loco «vi sacramentalis consecrationis».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod quando agitur de Episcopis sermo semper factus est de «consecratione».

Placet textus uti est.

Can. 196 (CIC 954)

Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur «duos saltem episcopos loco «duos episcopos» quia hodie omnes Episcopi praesentes manus imponunt.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut verbum «conconsecratores» supprimatur.

Exc.mus octavus Consultor respondet quod verbum manere debet quia complet phrasim praecedentem, scilicet «sibi adiungat duos (saltem) episcopos».

Concordant omnes ut verbum «conconsecratores» maneat in textu.

Rev.mus Secretarius ad. proponit post lecturam textus liturgici ut textus canonis sequenti modo immutetur:

«Nisi a Sede Apostolica dispensatum fuit Episcopus consecrator principalis, in consecratione episcopali, duos saltem Episcopos consecrantes sibi adiungat; convenit autem ut omnes Episcopi praesentes una cum iisdem electum ordinent».

Placet omnibus.

Can. 197 (CIC 955)

Rev. mus tertius Consultor ad § 2 proponit ut dicatur quod Episcopus non possit subditum proprium ordinare si sit alius ritus loco « orientalis ritus ».

Non placet. Itaque textus placet omnibus uti est.

Can. 198 (CIC 957)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 199 (CIC 956)

Rev. mus primus Consultor proponit ut dicatur « nondum » loco « non iam ». Placet.

Rev. mus tertius Consultor proponit ut dicatur « nondum sunt clerici per diaconatum ». Non placet.

Rev. mus septimus Consultor proponit ut textus sequenti modo mutetur: « ...quod attinet ad ordinationem ante diaconatum » loco « nondum sunt clerici ». Non placet.

Rev. mus tertius Consultor notat quod vitari debet vox « clerici », quia prius erant clerici maiores et minores, primi ex iure divino, alteri ex iure ecclesiastico; nunc, e contra, clerici sunt tantum ex iure divino.

Rev. mus Secretarius ad. proponit ut dicatur: « ...qui ad presbyteratum sunt promovendi » loco « ...qui nondum sunt clerici ».

Rev. mus primus Consultor censet melius esse mentionem facere sive de presbyteratu sive de diaconatu.

Rev. mus tertius Consultor proponit textum sequenti modo emendatum: « ...quod attinet ad ordinationem presbyterorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus... ». Non placet.

Rev. mus Secretarius ad. petit suffragium utrum textus mutari debeat necne: maioritas (5 contra 4) praefert ut textus maneat cum verbis « nondum » loco « non iam » et « diaconi » loco « clerici ». Itaque textus erit: « ...quod attinet ad ordinationem eorum qui nondum sunt diaconi... ».

Exc. mus quartus Consultor non concordat de ultima phrasi canonis scilicet « ...cui... promovendus sese devovere intendit »

Ratio: a dioecesibus pauperibus candidati aufugient et tunc consensus valde est premendus.

Canon placet omnibus uti est cum supradictis suggestionibus.

Can. 200 (CIC 958)

Ad n. 1: Rev. mus quintus Consultor proponit ut dicatur « de quo in can. 199 », loco « ad normam can. ... ». Placet.

Ad n. 2: Placet uti est.

Ad n. 3: Placet uti est.

Ad n. 4: Placet uti est.

Ad par. 2: Rev.mus tertius Consultor quaestionem ponit utrum in novo iure munus Vicarii episcopalis cesset morte Episcopi necne.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod munus Vicarii episcopalis cessat, sed si est Episcopus auxiliaris, servat potestatem quam antea ut Vicarius episcopalis habebat. Ipse proponit ut post « Episcopo dioecesano » adiungatur: « vel Administratore apostolico ».

Placet omnibus.

Can. 201 (CIC 959)

Placet omnibus uti est.

Can. 202 (CIC 960)

Placet omnibus uti est.

Can. 203 (CIC 961)

Placet omnibus uti est, excepto Rev.mo septimo Consultore, qui proponit ut adiungatur vox « Orientalis » in harmonia cum canone praecedenti 197 § 2.

Itaque textus manet uti est.

Can. 204 (CIC 962) et Can. 205 (CIC 963)

Rev.mus Secretarius petit quisnam pro membris institutorum saecularium dare debet litteras dimissorias.

Notat quod habentur societates quae non sunt instituta perfectionis, nihilominus facultatem habent sibi incardinandi clericos. Itaque aestimat ipse quod, quando societas vel institutum facultatem habet sibi clericos adscribendi, Episcopus intervenire non potest; quod, e contra, Episcopus intervenire potest si societas vel institutum facultatem sibi clericos adscribendi non habet.

Rev.mus secundus Consultor ad n. 1 non concordat ut dicatur tantum « suis subditis », quia aliquis sodalis potest esse subditus, sed non permanentiter adscriptus instituto.

Ipse notat etiam quod in n. 3 sermo fit « de iure saecularium », e contra in n. 2 dicitur quod « Moderatori maiori instituti iuris pontificii exclusiva competit facultas... ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in n. 3 sermo est de ordinatione, e contra in n. 2 de litteris dimissoriis.

Ipse Rev.mus Secretarius ad. proponit ut can. 206, emendatus, ponatur uti canon 201, immediate post canonem in quo norma traditur de litteris dimissoriis, quae respiciunt clericos saeculares.

Textum emendatum proponit ut sequitur:

« Quod attinet ad ordinationem sodalium tum institutorum perfectionis tum societatum quae facultate gaudent sibi clericos adscribendi:

1° Moderatori maiori instituti iuris pontificii aut societatis facultate sibi clericos adscribendi gaudentis, competit facultas suis subditis iuxta Constitutiones permanenter instituto vel societati adscriptis concedendi litteras dimissorias ad diaconatum et ad presbyteratum;

2° ordinatio ceterorum omnium alumnorum instituti cuiusvis perfectionis aut societatis facultate sibi clericos adscribendi donatae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario ».

Rev.mus sextus Consultor ad n. 1 proponit ut verba « instituti iuris... gaudentis » supprimantur. Placet.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut loco nn. 1 et 2 ponantur §§ 1 et 2, quia agitur de casibus diversis.

Propositio placet.

Ipse Rev.mus secundus Consultor proponit etiam ut supprimantur verba introductoria scilicet « quod attinet... clericos adscribendi ».

Placet etiam haec propositio.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « Moderatori est... » loco « competit ». Non placet.

Rev.mus primus Consultor proponit: « soli moderatori competit ». Non placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit « uni moderatori... competit ut suis subditis iuxta... concedat litteras... ».

Propositio placet.

Exc.mus octavus Consultor proponit ut supprimantur verba introductoria ita ut praebeatur parallelismus cum canon 201.

Fit suffragatio de propositione Exc.mi octavi Consultoris et omnes consultores, exceptis Exc.mo octavo et tertio Consultoribus, praeferunt duplicem paragraphum sine introductione.

Itaque textus canonis erit:

« § 1. Uni Moderatori maiori Instituti perfectionis iuris pontificii aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi gaudentis competit ut

suis subditis iuxta Constitutiones permanentes Instituto aut Societati adscriptis concedat litteras dimissorias ad diaconatum et ad presbyteratum ».

« § 2. Ordinatio ceterorum alumnorum cuiusvis Instituti perfectionis aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi donatae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario ».

Can. 207 (CIC 965)

Exc.mus octavus Consultor proponit ut canon omittatur ita ut completa libertas relinquatur litteras dimissorias mittendi ad quemlibet Episcopum.

Rev.mus secundus Consultor adprobat propositionem Exc.mi octavi Consultoris, quia Codex erat in idea omnino diversa.

Etiam Rev.mi sextus et tertius Consultores censent canonem omitti debere, quia est contradictio cum canonibus 204 et 206.

Exc.mus nonus Consultor censet esse uni Episcopi loci mittere litteras dimissorias quia ipse potest habere plurimas notitias de candidatis.

Concordat de hoc etiam Exc.mus quartus Consultor.

Rev.mus quintus Consultor est anceps.

Rev.mus septimus Consultor notat quod in processu praevio ad ordinationem pro religiosis audiri debet etiam Curia dioecesana et quod huius rei mentio est facienda.

Respondet Rev.mus tertius Consultor quod hoc fieri debet in scrutinio ante ordinationem, sed hic quaestio est de litteris dimissoriis.

Concordant omnes ut canon supprimatur et quod mentio fieri debeat de hoc ubi de scrutinio agitur.

Caput II

DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Can. 208 (CIC 968)

Ad par. 1: Placet uti est.

Ad par 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut addantur, post verba « Instituti perfectionis », verba « aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi donatae ».

Placet propositio.

Can. 209 (CIC 971)

Rev. mus septimus Consultor, quoad formam, proponit ut dicatur « non debet fieri coactio » loco « nefas est... ».

Propositio non placet.

Rev. mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « nemo potest cogere... ».

Omnes alli consultores praeferunt textum uti est.

Rev. tertius Consultor proponit ut loco verbi « avertere » aliud adhibeatur.

Textus placet omnibus uti est.

Can. 210 (CIC 969)

Exc. mus nonus Consultor ad § 1 animadvertit canonem, uti sonat, necessarium esse et proponit ut dicatur magis determinate « pro Ecclesia pro qua ordinatur ».

Rev. mus Secretarius ad. proponit ut supprimatur verbum « necessarius » et propositio omnibus placet.

Rev. mus sextus Consultor timet ne ex hoc excludatur ordinatio monachorum, sed est in favorem huius textus, sine verbo « necessarius » e

Ad par. 2: placet omnibus uti est.

Can. 211 (CIC 970)

Rev. mus quintus Consultor proponit ut dicatur: « Moderator maior competens » et omittantur verba « Instituti perfectionis ». Placet omnibus.

Rev. mus Secretarius ad. concordat et proponit ut adiungatur etiam, post verba « moderator maior », « ad normam can. 201 § 1 competens ». Placet.

Rev. mus tertius Consultor proponit ut post verbum « diaconis » in tertia linea, dicatur « non permanentibus ».

Respondet Rev. mus Secretarius ad. quod hoc esset bis in idem; nam si esset permanens, haberetur causa canonica.

Ipse Rev. mus Secretarius ad. proponit ut adiungantur post verba « instituti perfectionis » in quinta linea « aut Societatis clericorum ». Placet.

Itaque textus placet cum suggestionibus Rev. morum quinti Consultoris et Secretarii ad.

Can. 212 (CIC 972)

Placet omnibus uti est.

Can. 213 (novus)

Textus placet omnibus uti est.

Art. 1: DE REQUISITIS IN SUBJECTO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 214 (CIC 974, § 1)

Textus placet omnibus uti est, excepto Rev.mo sexto Consultore qui non amat formam et praefert verbum « aptior » loco « magis aptus ».

Can. 215 (CIC 974, § 1 et 984, 1°)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungatur verbum « competentis » post « Moderatoris maioris » et supprimantur verba « Instituti perfectionis ».

Placet omnibus.

Can. 216 (novus)

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor proponit ut supprimatur verbum « presbyteratum ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in m.p. *Ad pascendum* sermo fit de utroque scilicet de diaconatu et de presbyteratu.

Rev. primus Consultor proponit ut verbum « presbyteratum » servetur in textu, quia si dicitur tantum « ad diaconatum » idem esset ac dicere « ad diaconatum permanentem ».

Exc.mus octavus Consultor proponit ut dicatur « quae » loco « qui » in secunda linea. Placet.

Rev.mus tertius Consultor non concordat de secunda parte paragraphi; etiam Rev.mus primus Consultor non concordat, quia sunt Societates quae non habent vota, et in hoc casu candidatus tenetur ad admissionem obtinendam.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut textus secundae partis paragraphi sequenti modo mutetur:

« ...ad eandem tamen admissionem obtinendam non tenetur qui per vota aut alia sacra ligamina (admissus) cooptatus est in clericali Instituto perfectionis aut Societatis clericorum ».

Rev.mus tertius Consultor quoad primam partem paragraphi suggerit ut sequenti modo mutetur prima linea: « Ad ordines adspirans, diaconus ne ordinetur... ».

Rev.mus primus Consultor praefert textum uti est, quia etiam laici possunt accedere ad diaconatum.

Exc.mus nonus Consultor petit utrum sufficiat professio perpetua.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod cooptatio debet esse definitiva et adspirans ad diaconatum debet permanentem admissionem quaerere.

Placet omnibus textus uti est cum propositione Rev.mi Secretarii ad. quoad partem secundam canonis.

Itaque textus erit:

« § 1. Ad diaconatum vel presbyteratum aspirans, diaconus ne ordinetur, nisi qui prius, ad normam §§ quae sequuntur, admissionem inter candidatos ad eosdem ordines obtinuerit; ad eandem tamen admissionem obtinendam non tenetur qui per vota aut alia sacra ligamina cooptatus est in clericali Instituto perfectionis aut Societate clericorum ».

Ad par. 2: « Acceptatio » loco « acceptio ». De reliquo textus placet uti est.

Ad par. 3: Rev.mus sextus Consultor proponit ut adiungantur post « Moderator maior » verba « de quo in can. 202 § 1 ». Placet.

Exc.mus nonus Consultor notat quod in Instituto clericali non requiritur acceptatio.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod habetur ille textus in m.p. *Ad pascendum*, quod competens est superior maior quando sodales non sunt permanentemente cooptati.

Rev.mus tertius Consultor legit textum motus proprii et animadvertit quod professi in religionibus clericalibus non tenentur ritu.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod quaestio est utrum sodalis qui non est permanentemente cooptatus potest ordinari diaconus sine ritu admissionis.

Rev.mus primus Consultor aestimat in m.p. *Ad pascendum* agi de votis temporaneis, non de perpetuis.

Affirmat Rev.mus Secretarius ad. quod sodalis sine votis perpetuis admissionem petere debet.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod professus non tenetur ad ritum admissionis, quia iam admissus est, quod e contra sodalis non professus tenetur.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

« § 3. Auctoritas pro eadem acceptatione competens est Episcopus dioecesanus de quo in can. 199, et pro sodalibus sui Instituti aut Societatis Moderator maior de quo in can. 201 ».

Placet omnibus.

Ad par. 4: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut omittatur verbum « presbyteratum ».

Placet propositio.

Ad. par. 5: Rev. primus Consultor proponit ut adiungatur verbum « philosophico » ante « theologorum ». Placet.

De reliquo textus placet uti est.

Ad par. 5: Rev.mus quinquagesimus Consultor proponit ut § 5 fiat § 4 et § 4 fiat § 5 et in nova § 4 tollantur verba « aut ad presbyteratum ».

Placet omnibus.

Exc.mus nonus Consultor declarat quod in § 4 sermo fit sive de admissione sive de ritu.

Rev.mus tertius Consultor notat quod celebratio ritus non est idem ac admissio.

Rev.mus septimus Consultor declarat quod actus iuridicus acceptationis manifestatur cum ritu, et proponit itaque ut in textu dicatur « cum ritu » loco « ritu ».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungatur « cum ». Placet omnibus.

Can. 217 (novus)

Ad par. 1: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut deleantur verba « et ad presbyteratum ». Placet.

Ad par. 2: Rev.mus septimus Consultor proponit ut mentio de interstitiis inter lectoratum et acolythatum non fiat in canone.

Rev.mus tertius Consultor praefert ut supprimantur verba « a Sancta Sede ».

Rev.mus quintus Consultor proponit ut textus servetur uti est.

Rev.mus primus Consultor non placet quod in eadem linea agatur de intervallo inter lectoratum et acolythatum et de intervallo inter acolythatum et diaconatum.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in alio loco agatur de interstitiis inter duo ministeria lectoratus et acolythatus.

Haec propositio placet omnibus consultoribus.

Rev.mus Secretarius ad. petit utrum statui debeat intervallum inter acolythatus et diaconatus collationem « saltem unius anni » uti est in Codice necne.

Exc.mus nonus Consultor proponit ut sermo fiat de intervallo « saltem sex mensium », salva facultate Episcoporum conferentiae.

Haec propositio placet omnibus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit sequentem textum:

« § 2. Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum interceda » sex saltem mensium, nisi ab Episcoporum conferentia illud protrahendum statuatur (cf. m.p. *Ad pascendum*, II et IV).

Placet omnibus.

Can. 218 (novus)

Rev.mus secundus Consultor proponit ut supprimantur verba « ad diaconatum » in prima linea.

Propositio omnibus placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut post verba « Episcopo dioecesano » dicatur « de quo in can. 198 » et statim adiungantur verba: « aut Moderatori maiori de quo in can. 200 ».

Placet omnibus.

Ipsa Rev.mus Secretarius ad. notat quod similes sunt etiam normae in can. 235 et proponit ut canon componatur cum can. 235.

Rev.mus primus Consultor proponit ut in uno canone ambae normae tradantur et ponantur hic.

Concordant omnes.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem:

« Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo dioecesano de quo in can. 198, aut Moderatori maiori de quo in can. 200, declarationem tradat propria manu exaratam et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipi eandem admittatur ».

Placet omnibus.

Itaque canon 235 cadit.

Can. 219 (novus)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « qui cooptatus est » loco « professus ».

Rev.mus tertius Consultor declarat quod in m.p. *Ad pascendum*, non fit discriminatio inter aspirantem saecularem et religiosum, quae fit in nostro textu.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit non posse aequiparationem fieri inter professum Instituti perfectionis et illos qui ad aliam Societatem pertinent quae vota publica non habent.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem:

« Candidatus ad diaconatum, qui non sit uxoratus, item candidatus ad presbyteratum, ad diaconalem ordinationem ne admittatur, nisi qui ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligationem coelibatus assumpserit, aut, si eandem publice iam assumpserit, renovaverit ».

Placet omnibus. Itaque cadit ultima pars.

Can. 220 (CIC 973, § 2)

Rev.mi Secretarius ad. et primus Consultor proponunt ut adiungatur in ultima linea « aut Moderatoris maioris competentis ».

Placet omnibus.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « de quo » loco « de quibus ».

Respondet Rev.mus secundus Consultor quod in illo canone 217 sermo fit de ministeriis, ita ut melius dicatur « de quibus ».

Placet omnibus ut maneat « de quibus ».

Can. 221 (CIC 975)

Rev.mus primus Consultor ad § 4 proponit ut supprimatur verbum « uni » ante « Apostolicae Sedi ».

Placet omnibus.

Exc.mus octavus Consultor proponit ut ultima verba « et ita ut intervallum... », usque ad finem, ponantur post verbum « expleverint ».

Placet omnibus.

Can. 222 (CIC 976)

Rev.mus quintus Consultor declarat quod in motu proprio habetur norma severior (cf. m.p. *Ad pascendum*, VII).

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut loco « penultimum » dicatur « quintum ».

Rev.mus primus Consultor notat quod requiri debet curriculum studiorum philosophico-theologicorum quinque annorum et annus pro praxi pastoralis.

Ita sermo fieri debet in canone de sex annis.

Canon placet omnibus uti est, sed consultores petunt ut ad § 1 de numero annorum petatur sententia auctoritatis superioris.

Can. 223 (CIC 977 et 978, § 3)

Placet omnibus uti est.

Can. 224 (CIC 979-982)

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur « titulo » loco « tituli ».

Rev.mus tertius Consultor petit quo titulo ordinentur diaconi permanentes.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod diaconi permanentes ordinantur semper titulo alicuius dioecesis, sed per se ipsos providere debent propriae substantiationi.

Rev.mus tertius Consultor affirmat quod verbum «titulus» significat fons alicuius sustentationis.

Non consensit de hoc Rev.mus primus Consultor qui exempli gratia declarat quod titulus paupertatis non significat ius ad sustentationem.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut omittantur verba «huius tituli ratione».

Propositio non placet.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut § 2 aliunde ponatur.

Etiam haec propositio non placet.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut in tertia linea dicatur «praevidentiae» loco «praecaventiae».

Rev.mus tertius Consultor proponit verbum «cautioni» loco «praecaventiae».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «cautioni ac praevidentiae».

Haec propositio non placet consultoribus, qui e contra consentiunt de propositione Rev.mi Secretarii ad.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur «apte» loco «debite».

Placet omnibus.

Exc.mus nonus Consultor proponit ut dicatur «Ordinarius» loco «Episcopus» ut in § 1.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod munus hoc est Episcopi dioecesani, non Ordinarii, e contra in § 1 dici potest sive Ordinarius sive Episcopus dioecesanus. Proponit ipse ut dicatur etiam in § 1 «Episcopus dioecesanus».

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in § 2 dicatur: «idem Episcopus» loco «Episcopus dioecesanus».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod agitur de alia quaestione ergo melius est dicere «Episcopus dioecesanus».

Placet omnibus.

Art. 2: DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Can. 225 (CIC 933)

Placet omnibus uti est.

Can. 226 (CIC 984)

Placet omnibus uti est.

Can. 227 (CIC 985)

Ad n. 1: Rev. mus tertius Consultor proponit ut adiungantur verba: « Ecclesiae catholicae » post « a plena communione ».

Placet omnibus.

Ad n. 2: Rev. mus Secretarius ad. proponit ut textus mittatur in numero singulari et post verbum « voto » adiungantur verba « publico castitatis perfectae, etiam temporaneo » et expungantur verba: « religiosis etiam simplicibus ac temporariis ».

Placent omnibus hae emendationes, itaque textus huius numeri erit:

« 2° qui matrimonium attentare aut civile tantum inire ausus fuerit, vel ipsemet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico castitatis perfectae, etiam temporaneo, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto adstricta »

Can. 228 (CIC 987)

Rev. mus Secretarius ad. proponit ut textus mittatur in numero singulari. Placet.

De reliquo, textus placet omnibus uti est.

Can. 229

Rev. mus Secretarius ad. proponit ut textus mittatur in numero singulari. Placet.

De reliquo, textus placet uti est.

Can. 230 (CIC 988) et Can. 231 (CIC 989)

Placent uti sunt.

Can. 232 (CIC 990)

Ad par. 2, nn. 1, 2, 3: proponitur ut textus sequenti modo mutetur:

« § 2. Eidem etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos qui sequuntur:

1° ab irregularitatibus ex delicto publico de quibus in can. 225, nn. 1 et 2;

2° ab irregularitate ex delicto sive publico sive occulto de quo in can. 225, n. 3;

3° ab impedimento de quo in can. 226, n. 1 ».

Can. 233 (CIC 993 § 2)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut post «recurrendi» adiungantur verba «ad Ordinarium aut» et supprimatur «eundem».

Placet omnibus.

Can. 234 (CIC 991)

Textus placet omnibus uti est.

Caput II

DE IIS QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT

Can. 235 (CIC 992)

Cadit, quia norma est in alio canone.

Can. 236 (CIC 993)

Ad par. 1: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «sit» loco «esse debet».

Placet omnibus.

Ad par. 2, n. 2: Rev.mus tertius Consultor proponit ut textus corrigatur cum verbis m.p. *Ad pascendum*.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

«§ 2. Documenta quae requiruntur sunt sequentia:

1° si agatur de ordinandis ad presbyteratum, testimonium recepti diaconatus;

2° si agatur de promovendis ad diaconatum, testimonium recepti baptismi et confirmationis, atque receptorum ministeriorum de quibus in can. 215; item testimonium factae declarationis de qua in can. 216, necnon, si ordinandus sit uxoratus qui promovendus est ad diaconatum permanentem, testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris.

3° testimonium de studiis rite peractis ad normam can. 220, §§ 1 et 3».

Ad par. 3: Rev.mus tertius Consultor petit ut mentio fiat de investigatione circa conditiones familiae.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod de hoc dicitur implicite in n. 3.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut adiungatur in n. 3 post «adiunctis» verba «etiam familiaribus».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in coetu de Sacra Hierarchia admissum est ut sermo fiat tantum de bona fama.

Exc.mus nonus Consultor notat quod in decreto sermo fit de investigatione circa conditiones familiae, non tantummodo de bona fama, et etiam de sanitate physica et psychica.

Concordant omnes ut textus maneat uti est, exceptis Exc.mis nono et quarto Consultoribus et Rev.mis tertio et sexto Consultoribus.

Rev.mus sextus Consultor notat ad. quod in textu ter dicitur «requiritur» et requisitis».

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «habeatur» loco «requiritur». Placet omnibus.

Ad n. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungantur verba «aut Societatis» post «Instituti perfectionis».

Placet omnibus.

Can. 237 (CIC 996)

Placet omnibus uti est.

Can. 238 (CIC 997)

Ad § 1: Rev.mus tertius proponit ut dicatur «ad eam» loco «ad ordinationem».

Placet omnibus.

Ad § 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur «subditum» loco «de communitate domus subditae».

Placet omnibus.

Can. 239 (CIC 1001)

Placet omnibus uti est.

Caput IV

DE TEMPORE ET LOCO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 240 (CIC 1006)

Placet omnibus uti est.

Can. 240 bis (CIC 1006)

Proponitur ut post verba «die dominico vel festo» adiungatur «de praecepto», ut ritui adsit maxime frequentia fidelium.

Placet omnibus.

Can. 241 (CIC 1007), *Can. 242* (CIC 1009),
et *Can. 243* (CIC 1009)

Placent omnibus uti sunt.

Caput V

DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

Can. 244 (CIC 1010) et *Can. 245* (CIC 1011)

Placent omnibus uti sunt.

SCHEMA CANONUM « DE ORDINE » CUM EMENDATIONIBUS

Rev.mus Secretarius ad. proponit novam redactionem textus de sacramento ordinis cum emendationibus propositis ab omnibus consultoribus.

En textus novae redactionis:

Titulus VI

DE ORDINE

Can. 191 (CIC 948)

Sacramentum ordinis ex Christi institutione inter christifideles constituit sacros ministros seu clericos, qui eodem consecrantur et deputantur ut in persona Christi munera adimplentes Evangelium annuntiandi, christifideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei populum pascant.

Can. 192 (CIC 949)

Ordines sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus.

Caput I

DE MINISTRO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 193 (CIC 951)

Sacrae ordinationis minister est Episcopus consecratus.

Can. 194 (CIC 953): Uti est.*Can. 195* (CIC 954)

Nisi a Sede Apostolica dispensatum fuerit, Episcopus consecrator principalis in consecratione episcopali duos saltem Episcopos consecrantes sibi adiungat; convenit autem ut omnes Episcopi praesentes una cum iisdem electum ordinent.

Can. 196 (CIC 955): Uti est.*Can. 197* (CIC 957): Uti est.*Can. 198* (CIC 956)

Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per diaconatum est inordinatus, quod attinet ad ordinationem eorum qui nondum sunt diaconi et clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit.

Can. 199 (CIC 958)

§ 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt:

1° Episcopus dioecesanus proprius de quo in can. 199, postquam possessionem suae dioecesis legitime coeperit ad normam can. 2 (de Episcopis dioecesanis: CIC 334, § 3);

2° Vicarius generalis et Vicarius episcopalis, ex speciali tamen mandato;

3° Administrator apostolicus atque, de consensu Collegii consultorum, de quo in can. 11 (de Consilio presbyterali), Administrator dioecesanus;

4° Vicarius et Praefectus apostolicus, atque Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus, Abbas vel Praelatus proprio territorio praefectus, itemque Praelatus Praelaturae personali praepositus, licet episcopali caractere careant.

§ 2. Vicarius generalis et Vicarius episcopalis atque Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quibus ab Episcopo dioecesano vel Administratore apostolico aut a Vicario vel Praefecto apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit.

Can. 200 (CIC 964)

§ 1. Uni Moderatori maiori Instituti perfectionis iuris pontificii aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi gaudentis, competit ut suis subditis iuxta Constitutiones permanentes Instituto aut Societati adscriptis concedat litteras dimissorias ad diaconatum et ad presbyteratum.

§ 2. Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis Instituti perfectionis aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi donatae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario.

Can. 201 (CIC 959): Uti est.

Can. 202 (CIC 960): Uti est.

Can. 203 (CIC 961): Uti est.

Can. 204 (CIC 962): Uti est.

Can. 205 (CIC 963): Uti est.

Caput II

DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Can. 206 (CIC 968)

§ 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.

§ 2. Licite ordinatur qui, ad normam iuris, probatione peracta, debitis qualitatibus, iudicio proprii Episcopi aut Moderatoris maioris competentis, praeditus sit, nulla detineatur irregularitate nulloque impedimento, atque praerequisita, ad normam cann. 21-21 adimpleverit.

Can. 207 (CIC 971)

Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet causam, ad ordines recipiendos cogere, vel canonice idoneum ab eisdem recipiendis avertere.

Can. 208 (CIC 969)

§ 1. Licite non ordinatur nisi candidatus qui, Superioris legitimi iudicio, pro Ecclesiae ministerio utilis habetur.

§ 2. Episcopo ordinanti proprium subditum, qui servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinandum alteri dioecesi, ad normam can. ..., addictum iri.

Can. 209 (CIC 970)

Proprius Episcopus vel Moderator maior ad normam can. 201 competens nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest diaconis sibi subditis ascensum ad presbyteratum interdicare, salvo iure recursus ad Apostolicam Sedem, vel, si agatur de sodalibus Instituti perfectionis aut Societatis clericorum, quibus ascensum interdixerit Moderator proprius, ad Moderatorem quoque generalem.

Can. 210 (CIC 972)

Textus §§ 1 et 2, ut antea sub can. 212.

Can. 211 (novus)

Textus §§ 1 et 2, ut sub can. 213 antea.

Art. 1: DE REQUISITIS IN SUBJECTO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 212 (CIC 974, § 1)

Textus qui antea sub can. 214.

Can. 213 (CIC 974, § 1 et 984, 1°)

Ad ordines promoveantur ii soli qui, iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, certo, omnibus perpensis adiunctis, bona gaudeant existimatione, integris moribus aliisque qualitatibus physicis et psychicis, ordini recipiendo congruentibus.

Can. 214 (novus)

§ 1. Ad diaconatum vel presbyteratum aspirans, diaconus ne ordinetur, nisi qui prius, ad normam §§ quae sequuntur, admissionem inter candidatos ad eosdem ordines obtinuerit; ad eandem tamen admissionem obtinendam non tenetur qui per vota aut alia sacra ligamina cooptatus est clericali Instituto perfectionis aut Societate clericorum.

§ 2. Ad eandem admissionem obtinendam requiritur libera aspirantis petitio, propria manu exarata et subscripta, necnon competentis auctoritatis ecclesiasticae acceptatio scripto data, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

§ 3. Auctoritas pro eadem acceptatione competens est Episcopus dioecesanus de quo in can. 199, et pro sodalibus sui Instituti aut Societatis Moderator maior de quo in can. 201.

§ 4. Admissio inter candidatos ad diaconatum fit cum ritu liturgico peragendo ab auctoritate ecclesiastica, de qua in § 3.

§ 5. Inter candidatos ad diaconatum transeuntem ne admittatur nisi qui vigesimum saltem aetatis annum expleverit et studiorum philosophico-theologicorum curriculum coeperit (cf. m.p. *Ad pascendum*, I et III).

Can. 215 (novus)

§ 1. Candidatus ad diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, ministeria lectoris et acolythi, nisi eadem iam receperit, prius debet recipere et per congruum tempus exercere, nisi a Sancta Sede dispensatio concessa sit.

§ 2. Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum intercedat sex saltem mensium, nisi ab Episcoporum Conferentia illud protrahendum statuatur (cf. m.p. *Ad pascendum*, II et IV).

Can. 216 (novus)

Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo dioecesano de quo in can. 199, § 1, aut Moderatori maiori de quo in can. 201, declarationem tradat propria manu exaratam et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur.

Can. 217 (novus)

Candidatus ad diaconatum, qui non sit uxoratus, item candidatus ad presbyteratum, ad diaconalem ordinationem ne admittatur, nisi qui ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligationem coelibatus assumpserit, aut, si eandem publice iam assumpserit, renovaverit.

Can. 218 (CIC 973, § 2)

Admissus ad ministeria, de quibus in can. 216, qui diaconatum recipere recuset, itemque diaconus qui ad presbyteratum promoveri renuat, non possunt ad eosdem ordines recipiendos cogi, nec a ministeriorum receptorum ordinisve recepti exercitio prohiberi, nisi impedimento detineantur canonico aliave gravis, de iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, obsit causa.

Can. 219 (CIC 975)

§ 1. Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vigesimum quartum expleverint, et ita ut intervallum intercedat sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum; qui ad presbyteratum destinantur, ad diaconalem ordinationem tantummodo admittantur post expletum aetatis annum vigesimum tertium.

§ 2. Textus ut antea sub can. 221, § 2.

§ 3. Textus ut antea sub can. 221, § 3.

§ 4. Dispensatio ultra annum super aetate ad normam §§ 1 et 2 requisita Apostolicae Sedi reservatur.

Can. 220 (CIC 976)

§ 1. Nisi ob specialia adiuncta Episcoporum conferentia aliud statuerit, candidatus ad presbyteratum promoveri tantum potest ad diaconatum post expletum quintum curriculum studiorum philosophico-theologicorum annum.

§ 2. Textus ut antea sub can. 222, § 2.

§ 3. Textus ut antea sub can. 222, § 3.

§ 4. Textus ut antea sub can. 222, § 4.

Can. 221 (CIC 977 et 978, § 3)

Textus ut antea sub can. 223.

Can. 222 (CIC 979-982)

§ 1. Omnes diaconi saeculares ordinentur titulo servitii Ecclesiae particularis cui sese stabiliter devovere intendunt, sub auctoritate Episcopi dioecesani.

§ 2. Huius tituli ratione, Episcopus dioecesanus curare debet ut apte consulatur diaconorum et presbyterorum honestae sustentationi atque provideatur eorundem congruenti cautioni et assistentiae sanitariae, ad normam can... (de clericorum obligationibus et iuribus).

§ 3. Textus ut antea sub can. 224, § 3.

Art. 2: DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Can. 223 (CIC 983)

Textus ut sub can. 225.

Can. 224 (CIC 984)

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex defectu:

1° qui ob corporis debilitatem aut deformationem convenienter altaris ministerio defungi non valet;

2° qui, iudicio peritorum, aliqua forma laborat amentiae aliisque psychici defectus, qua inhabilis reddatur ad ministerium rite implendum;

3° qui infamia iuris notatur.

Can. 225 (CIC 985)

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex delicto, sive publico sive occulto, dummodo delictum post baptismum fuerit perpetratum:

1° qui delictum commiserit de quo in can. 1325, quo nempe a plena communione Ecclesiae catholicae scienter et libere defecerit;

2° qui matrimonium attentare aut civile tantum inire ausus fuerit, vel ipsemet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico castitatis perpetuae, etiam temporanae, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto adstricta;

3° qui voluntarium homicidium perpetraverit aut fetus humani abortum procuraverit, effectu secuto, omnesque positive cooperantes;

4° qui seipsum vel alium mutilaverit vel sibi vitam adimere tentaverit;

5° qui actum ordinis posuerit constitutis in ordine sacro reservatum, vel eodem carens, vel ab eius exercitio poena aliqua canonica prohibitus.

Can. 226 (CIC 987)

Sunt a recipiendis ordinibus simpliciter impediti:

1° vir uxorem habens, nisi ad diaconatum permanentem legitime destinetur;

2° qui officium vel administrationem gerit clericis vetitam cuius rationem reddere debet, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liber factus sit;

3° neophytus, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probatus fuerit;

4° qui infamia facti laborat, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat.

Can. 227

Ad exercendos ordines receptos sunt irregulares vel ab iisdem exercendis impediuntur:

1° qui irregularitate aut impedimento ad ordines recipiendos afficitur, illegitime ordines receperit;

2° qui gravi corporis debilitate laborat, quatenus rite sacras functiones peragere non valeat;

3° qui amentia aliove defectu psychico de quo in can. 225, n. 2, afficitur, usquedum Ordinarius, consulto perito, eiusdem ordinis exercitium permiserit;

4° qui infamia iuris vel facti laborat, donec ipsa cessaverit;

5° qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quo in can. 1325, si delictum est publicum.

DISCEPTATIO DE NOVO SCHEMATE CANONUM
« DE ORDINE »

Titulus IV

DE ORDINE

Can. 191 (CIC 948)

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « fideles » loco « christifideles ».
Non placet propositio.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut ponatur forma passiva ita ut
textus sic sonet:

« Sacramento ordinis ex Christi institutione inter Christifideles qui-
dem constituuntur sacri ministri seu clerici ».

Haec propositio placet omnibus, excepto Exc.mo octavo Consultore.

Can. 192 (CIC 949)

Placet omnibus uti est.

Caput I

DE SACRAE ORDINATIONIS MINISTRO

Cann. 193, 194, 195, 196, 197 et 198

Placent omnibus uti sunt.

Can. 199 (CIC 958)

Rev.mus Secretarius ad. n. 2 proponit ut in fine dicatur:

« ...ex speciali tamen Episcopi dioecesani mandato ».

Placet omnibus.

Ad § 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut addantur verba « Admini-
strator dioecesanus ».

Rev.mus secundus Consultor tradit scripto sequentes suggestiones:

« Norma heic proposita apta videtur, attamen dubitari potest de eius
extensione, seu de personis quae explicite in hac § 2 nominari debent.

(A) Videtur superfluum nominare Vicarium generalem et Vicarium
episcopalem. Hi enim ex natura proprii muneris numquam agere possunt
cum in casu particulari Episcopus dioecesanus aliquid contrarium iam sta-
tuit. Valet enim in genere, et ex natura rei, principium quod can. 44 § 2

enunziat de concessione gratiarum: “gratia autem ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari”.

(B) Quaeritur an “Administrator dioecesanus” includi debeat. Utraque sententia probabilis videtur. Nam:

(a) Iuxta can. 199 § 1, 3°, inter eos qui litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt, includitur: “Administrator dioecesanus, de consensu Collegii Consultorum”.

Ergo nihil obstare videtur quominus talis Administrator, etiam contra voluntatem illius qui fuit Episcopus nec amplius est (propter mortem, etc.), agere possit, si habet consensum Consultorum dioecesanorum. Ipsi enim curabunt collegiali modo, ut decisio Administratoris in hoc casu prudens sit, nec ullo modo personalis atque arbitraria.

(b) Attamen, consensus horum Consultorum, non aufert radicalem oppositionem cum voluntate Episcopi demortui; cum ex alia parte Administrator dioecesanus habeat munus omnino provisorum et limitatum.

Consequenter: ex rei natura solutio non certa appareat, oportet ut Consultores nostrae Commissionis, *per suffragationem* eligant solutionem a) vel b).

(C) Quaeritur an in hac norma includendi sint Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus necne.

Etiam heic apparent duae sententiae probabiles:

(a) Non videntur includendi, quia iuxta can. 309, § 2, ipsi “deficiente Vicario aut Praefecto, vel eorum iurisdictione impedita, *totum debent regimen assumere*”.

(b) Videntur e contra includendi, quia verba “totum regimen” non auferunt oppositionem cum voluntate expressa Vicarii vel Praefecti quorum Pro-vicarii vel Pro-praefecti devenerunt, ipsis deficientibus vel impeditis. Pariter ex analogia cum Administratore dioecesano, eo vel magis quod ipsi non subsunt voto Consultorum.

Consequenter: cum Consultores divi sint inter has duas sententias, *oportet per suffragationem rem dirimere*».

Maioritas Rev.morum Consultorum concordat ut in norma includi debeant pro-Vicarius et Pro-Praefecti apostolici.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

«§ 2. Administrator dioecesanus, Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit».

Placet omnibus.

Can. 200 (CIC 964)

Placet omnibus uti est.

Can. 201-205 (CIC 960-963)

Placet omnibus uti sunt.

Caput II

DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Can. 206 (CIC 958)

Placet omnibus uti est.

Can. 207 (CIC 971)

Placet omnibus uti est.

Can. 208 (CIC 969)

Placet omnibus uti est.

Can. 209 (CIC 970)

Rev.mus sextus Consultor proponit ut verba « ad normam can. 200 »
supprimantur. Placet omnibus.

De reliquo textus placet omnibus uti est.

Can. 210 (CIC 972) et *Can. 211* (novus)

Placet omnibus uti sunt.

Art.1: DE REQUISITIS IN SUBIECTO SACRAE

Can. 212 (CIC 974, § 1) et *Can. 213* (CIC 974, § 1 et 984, 1°)

Placet omnibus uti sunt.

Can. 214 (novus)

Rev.mus quintus Consultor proponit ut adiungatur vox « publice » ante
« cooptatus est ».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in verbo «cooptatus» includitur verbum «publice».

Notat etiam Rev.mus secundus Consultor quod «cooptatio» est status publicus itaque non videt necessitatem ut mentio fiat de votis vel aliis sacris ligaminibus.

Tamen concordant omnes consultores ut textus canonis maneat uti est.

Can. 215 (novus)

Textus placet uti est.

Can. 216 (novus)

Placet omnibus uti est.

Can. 217 (novus)

Rev.mus tertius Consultor proponit ut in textu dicatur quod durante ordinatione, candidatus publice coram Deo et Ecclesia obligationem coelibatus assumat.

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod sensus canonis est: 1) admittuntur ad presbyteratus et ad diaconatus ordinationem illi qui volunt obligationem coelibatus assumere; 2) Si candidatus, durante ordinatione, recusat obligationem coelibatus, non admittitur.

Rev.mus tertius Consultor notat quod in m.p. *Ad pascendum* (VI) dicitur «Publica ipsius sacri coelibatus assumptio coram Deo et Ecclesia etiam a religiosis celebranda est speciali ritu, qui ordinationem diaconalem praecedat».

Respondet Rev.mus Secretarius ad. quod in textu mentionem non fit de ritu ante ordinationem quia recusatio potest fieri etiam durante ordinatione.

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Can. 218 (CIC 973, § 2)

Placet omnibus uti est.

Can. 219 (CIC 975)

Placet omnibus uti est.

Can. 220 (CIC 976)

Placet omnibus uti est.

Can. 221 (CIC 977-978, § 3)

Placet omnibus uti est.

Can. 222 (CIC 979-982)

Placet omnibus uti est.

Art. 2: DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Can. 223 (CIC 983)

Placet uti est.

Can. 224 (CIC 984)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « deformatem » loco « deformationem ».

Placet omnibus.

Can. 225 (CIC 985)

Ad. n. 2: Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « perfectae » loco « perpetuae » et « temporaneo » loco « temporaneae ».

Placet omnibus.

Can. 226 (CIC 987)

Rev.mi proponit ut loco « rationem » dicatur « rationes ».

Placet omnibus.

Can. 227

Ad. n. 5: Rev.mus sextus Consultor proponit ut supprimatur « ex iis ».

Placet omnibus.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut canon dividatur in duas paragraphos sequenti modo:

§ 1. Ad exercendos ordines receptos sunt irregulares:

1° qui irregularitate ad ordines recipiendos dum afficitur, illegitime ordines receperit;

2° qui gravi corporis debilitate laborat, quatenus rite sacras functiones peragere non valeat;

3° qui infamia iuris notatur;

4° qui aliquod delictum commiserit de quo in can. 1325, si delictum est publicum;

5° qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quibus in can. 225, nn. 2, 3, 4, 5;

6° qui, confessarii munere sacrilege abutens, sigillum sacramentale directe violaverit, aut complicem in peccato gravi contra sextum Decalogi praeceptum, absolverit vel paenitentem ad idem peccatum sollicitaverit.

§ 2. Ab ordinibus exercendis impediuntur:

1° qui impedimento ad ordines recipiendos dum detinetur, illegitime ordines receperit;

2° qui infamia facti laborat, donec ipsa cessaverit;

3° qui amentia aliove defectu psychico de quo in can. 224, n. 2, afficitur, usquedum Ordinarius, consulto perito, eiusdem ordinis exercitium permiserit.

Placet omnibus.

Can. 228 (CIC 988) et Can. 299 (CIC 989)

Placet omnibus uti sunt.

Can. 230 (CIC 990)

Ad par. 2: Rev. mus septimus Consultor proponit ut dicatur « quae » loco « qui ».

Ad n. 2: dici debet « in can. 225, n. 3 » loco « in can. 224, n. 3 ».

Ad n. 3: dici debet « in can. 226, n. 1 » loco « in can. 225, n. 3 ».

Ad par. 3: dici debet « in can. 227, § 1, n. 3 » loco « in can. 227, n. 7 ».

De reliquo canon placet uti est.

Can. 231 (CIC 990, § 2)

Dici debet « et 227, § 1, n. 6 loco « et 227, n. 7 ».

De reliquo textus canonis placet uti est.

Can. 232 (CIC 991)

Placet uti est.

Caput III

De IIS QUAE SACRAE ORDINATIONIS PRAEIRE DEBENT

Can. 233 (CIC 993)

Ad par. 1: proponitur ut dicatur « sit » loco « esse debet ».
Placet.

Ad par. 2, nn. 1, 2, 3: Rev.mus quintus Consultor proponit novam dispositionem textus, scilicet:

§ 2. Documenta quae requiruntur sunt sequentia:

1° si agatur de ordinandis ad presbyteratum, testimonium recepti diaconatus;

2° si agatur de promovendis ad diaconatum, testimonium recepti baptismi et confirmationis, atque receptorum ministeriorum de quibus in can. 215; item testimonium factae declarationis de qua in can. 216, necnon, si ordinandus sit uxoratus qui promovendus est ad diaconatum permanentem, testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris.

3° testimonium de studiis rite peractis ad normam can. 220 §§ 1 et 3.

Placet omnibus.

Ad § 3, n. 1: Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « habeatur » loco « requiritur » et supprimatur « de eius ».

Placet omnibus.

Can. 234 (CIC 996)

Placet omnibus uti est.

Can. 235 (CIC 997)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « eam » loco « ordinationem ».

Placet omnibus.

Can. 236 (CIC 1001)

Placet omnibus uti est.

Caput IV

DE LOCO ET TEMPORE SACRAE ORDINATIONIS

Exc.mus octavus Consultor proponit inversionem in titulo scilicet: « De tempore et loco sacrae ordinationis ».

Placet omnibus propositio.

Can. 237 (CIC 1006)

Rev.mus tertius Consultor proponit ut canon supprimatur quia norma posita est in canonibus generalibus.

Exc.mi octavus et quartus Consultores praeferunt ut canon maneat. Sed omnes alii consultores concordant cum Rev.mo tertio Consultore. Itaque canon cadit.

Can. 237 bis

Placet omnibus uti est.

Can. 238 (CIC 1007)

Rev.mi tertius et primus Consultores non acceptant verba « ordinatio reiteranda », quia ordinatio reiterari non potest.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur « quoties ritus ordinationis reiterandus sint » loco « quoties ordinatio reiteranda sit ».

Placet omnibus.

Cann. 239 et 240 (CIC 1009)

Placet omnibus uti sunt.

Caput V

DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

Can. 241 (CIC 1010)

Placet omnibus uti est.

Can. 242 (CIC 1011)

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut dicatur post « maior » « competens si agatur de suis subditis » et supprimantur verba « si de sodalibus Instituti perfectionis ».

Placet omnibus propositio.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut supprimantur etiam verba « cum suis litteris dimissoriis ».

Placet omnibus hac propositio.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE DE SACRAMENTIS IN GENERE

CANONES GENERALES

Can. 1 (CIC 731, § 1)

Placet omnibus uti est.

Can. 2 (CIC 731, § 2)

Rev.mus primus Consultor proponit ut addatur mentio etiam de baptismo.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut post « necnon » addatur « can. 10, § 2 ».

Placet omnibus.

Rev.mus quintus Consultor petit ut loco « Poenitentiaria » hic et alibi (item loco « Poenitentia », « Poenitentes »), ponatur « Paenitentiaria », « Paenitentia », « Paenitentes ».

Ratio: quamvis in Codice Benedectino habeatur « Poenitentiaria » et in lexicis inveniantur una et altera forma, ab anno 1933 in Officio S. Paenitentiariae et in omnibus actibus Sanctae Sedis legitur « A » loco « O ». Addendum quod Constitutio « Paenitemini », ab initio erat « Poenitemini », sed in Acta Apostolicae Sedis legitur « Paenitemini ». Haec forma est in Neo-vulgata.

Can. 3 (CIC 732), *Can. 4* (novus) et *Can. 5* (CIC 733)

Placent omnibus uti sunt.

Can. 6 (CIC 734)

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « iure statutis » loco « iure admissis ».

Propositio non placet.

Ad par. 2: Ipse Rev. mus tertius proponit ut supprimantur verba « fructibus vel ».

Placet omnibus.

Can. 7 (CIC 735)

Ad par. 1: Maioritas consultorum, exceptis Exc. mis octavo et nono Consultoribus et Rev. mo quinto Consultore, praefert ut supprimatur « in Ecclesia », ergo verba « in Ecclesia » cadunt.

Can. 8 (CIC 736)

Placet omnibus uti est.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE « DE PAENITENTIA »

Titulus IV

DE PAENITENTIA

Can. 131 (CIC 870)

Textus placet omnibus uti est.

Caput I

DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI

Can. 132 (novus)

Placet omnibus uti est.

Can. 133 (novus)

Ad par. 1, n. 1: Rev. mus tertius Consultor proponit ut dicatur « eliciat » loco « elicere curet ».

Non placet.

Ad par. 2: Rev. mi sextus e tertius Consultores proponunt ut ultima ver-

ba, scilicet: «...qualis haberi potest in magna aliqua... peregrinatione» supprimantur, quia non sunt necessaria.

Rev.mus secundus Consultor declarat quod norma manere debet, ita ut appareat non esse contrariam propositionibus damnatis et ideo clare pateat sensus legibus ex duobus casibus.

Concordant omnes ut § 2 maneat uti est.

Ad par. 3, n. 2: Rev.mus tertius Consultor non videt cur confessarius ad loci Ordinatum recurrere debeat, si ad ipsum pertinet iudicium ferre an dentur condiciones ad normam § 1, n. 2 requisitae necne.

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

Can. 134 et 135 (novi)

Placet omnibus uti sunt.

Caput II

DE SACRAMENTI PAENITENTIAE MINISTRO

Can. 136 (CIC 871)

Rev.mus tertius Consultor proponit ut canon supprimatur, quia norma habetur ubi de normis generalibus de Sacramentis.

Exc.mus nonus Consultor et Rev.mi quintus et primus Consultores praeferunt ut canon maneat uti est.

Alii consultores concordant cum Rev.mo tertio Consultore.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut nunc nihil innovetur et remittatur decisio iudicio Episcoporum.

Rev.mus Secretarius ad. animadvertit normam esse in canone 5, ergo proponit ut canon supprimatur, quia est repetitio.

Placet omnibus ut canon supprimatur.

Omnes alii canones de paenitentia placent omnibus uti sunt.

Rev.mus Secretarius ad. declarat quod addidit canonem 147 (novum) secundum indicationem alius coetus.

Rev. notat quod in canone est norma generalis et petit utrum hic poni debeat an in alio loco.

Placet omnibus illa adiunctio uti est.

Ad omnes alios canones de paenitentia concordant consultores ut manent uti sunt.

Caput IV
DE INDULGENTIIS

Rev.mus sextus Consultor proponit ut ponatur referentia ad titulum, scilicet M.P *De Indulgentiis*.

Placet omnibus. Deinde Consultores adprobant omnes canones de indulgentiis.

DISCEPTATIO DE SCHEMATE CANONUM
«DE UNCTIONE INFIRMORUM»

Titulus V
DE UNCTIONE INFIRMORUM

Can. 182 (CIC 937)

Textus placet omnibus uti est.

Caput I
DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 183 (CIC 938)

Ad.par. 1: Placet omnibus.

Ad.par. 2: Rev.mus primus Consultor legit n. 16 *Ordinis unctionis infirmorum*, ubi dicitur quod non tantum Episcopi, parochi, et eorum cooperatores exercent ordinarie munus huius ministerii, sed etiam sacerdotes quibus mandata est cura infirmorum vel senium in valetudinariis necnon superiores communitatum religiosarum clericalium, et proponit una cum Rev.mo secundo Consultore ut mutetur textus § 2.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequentem:

§ 2. Officium et ius unctionem infirmorum ministrandi habent parochus et vicarii paroeciales, sacerdos cui cura mandata est infirmorum vel senium in valetudinariis, necnon, pro omnibus in domo versantibus, Moderator communitatis in clericalibus Institutis perfectionis ac Societatum

clericorum, atque cappellanus communitatis in ceteris Institutis perfectionis; in casu autem necessitatis, aut de licentia saltem praesumpta Ordinarii loci, parochi, cappellani aut Moderatoris, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum licite ministrat.

Textus § 2 placet omnibus.

Caput II

DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBIECTO

Can. 184 (CIC 940)

Ad par. 1: Em.mus Praeses proponit ut dicatur «periculose aegrotat» loco «graviter aegrotat» uti est in *Ordine unctionis infirmorum*, n. 8.

Omnes Consultores concordant ut textus maneat uti est.

Ad par. 2: Exc.mus octavus Consultor declarat, una cum Rev.mo primo Consultore, quod textus non est clarus et proponit ut adiungatur «denuo» ante «convaluerit».

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum sequenti modo emendatum:

§ 2. Sacramentum iterari potest, si infirmus, postquam convaluerit, denuo in gravem infirmitatem inciderit aut si, eadem infirmitate perdurante, discrimen gravius fiat.

Placet omnibus.

Can. 185 (CIC 941)

Rev.mus Secretarius ad. proponit «an» loco «nunc» tum in prima tum in secunda linea.

Placet omnibus.

Can. 186 (CIC 942)

Textus placet omnibus uti est.

Can. 187 (CIC 943)

Rev.mus septimus Consultor proponit ut post «infirmis» adiungantur verba «qui licet sensus vel usum rationis amiserit» (cf. *Ordo Unctionis infirmorum*, n. 14).

Etiam Exc.mus octavus Consultor concordat ut addantur illa verba. Attamen omnes consultores, excepto Exc.mo octavo Consultore, praeferrunt ut textus maneat uti est.

Can. 188 (CIC 944)

Exc.mus octavus Consultor proponit ut in ultima linea dicatur « infirmi » loco « iidem ».

Placet omnibus haec propositio.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 189 (CIC 945)

Placet omnibus uti est.

Can. 190 (CIC 947)

Ad par. 1: Rev.mus tertius Consultor proponit ut dicatur « integra formula prolata », loco « cum praescripta quidem breviora forma ».

Placet omnibus.

Ad par. 2: Placet omnibus uti est.

* * *

Rev.mus tertius Consultor ad canonem 70, § 2, « De Sanctissima Eucharistia », notat quod « alius christifidelis » potest esse sive laicus sive clericus.

Rev.mus Secretarius ad. proponit ut adiungatur verbum « laicus ».

Placet omnibus.

Rev.mus sextus Consultor declarat quod inter laicos acolythi habent praeferentiam quia, secundum m.p. *Ministeria quaedam*, VI, possunt, qua ministri extraordinarii, sanctam communionem distribuere.

Rev.mus Secretarius ad. proponit textum, sequendi modo emendatum:

§ 2. Extraordinarius sacrae Communionis minister, in casibus nempe in quibus necessitas pastoralis id requirat, est acolythus necnon, servatis loci Ordinarii praescripta, alius christifidelis laicus.

Placet omnibus.

Ita explicit tota materia de Sacramentis (excepto matrimonio).

APPENDIX I

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT

DE SACRAMENTIS IN GENERE

(de quo in CIC cann. 731-736)

Can. 1 (CIC 731, § 1)

Sacramenta Novae Legis, a Christo Domino instituta et Ecclesiae concredita, praecipua sunt sanctificationis et salutis media, conferunt ad communionem ecclesiasticam inducendam aut firmandam atque regale Populi Dei sacerdotium manifestant; quapropter in iis opportune riteque celebrandis summa veneratione debitaque diligentia uti debent tum sacri ministri tum ipsi fideles (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 14, 26, 27, 28, 59).

Can. 2 (CIC 731, § 2)

§ 1. Salvis huius canonis §§ 2, 3 et 4 necnon can. 10, § 2 et canonibus (de matrimonio), ministri catholici sacramenta licite administrant solis christifidelibus catholicis, qui pariter eadem a solis ministris catholicis licite recipiunt.

§ 2. Quoties necessitas id postulet aut vera spiritualis utilitas id suadeat, licet christifidelibus catholicis quibus physice aut moraliter impossibile sit accedere ad ministrum catholicum, sacramenta paenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis, in quorum Ecclesia valida habentur praedicta sacramenta.

§ 3. Ministri catholici licite sacramenta paenitentiae, Eucharistiae et unctionis infirmorum administrant christifidelibus orientalibus plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui sponte id petant et rite sint dispositi.

§ 4. Si adsit periculum mortis aut urgeat necessitas, persecutionis aut in carcere inclusionis ratione, aliave, de iudicio Episcoporum Conferentiae aut loci Ordinarii, gravis necessitas, ministri catholici licite eadem sacramenta administrant ceteris quoque christianis plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentibus, qui ad propriae communitatis ministrum accedere non valeant atque sponte id petant, dummodo tamen fidem quoad eadem sacramenta consentaneam fidei Ecclesiae catholicae manifestent et rite sint dispositi (cf. Conc. Vat. II, Decr. *Orientalium Ecclesia-*

rum, n. 27, *Directorium de re œcumenica*, nn. 42-47, 55; *Instructio de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad Communionem Eucharisticam in Ecclesia catholica*, 1 iunii 1972, nn. 4-5).

§ 5. Ad sacramenta nunquam admitti valent qui non sunt per baptismum Ecclesiae incorporati.

Can. 3 (CIC 732)

§ 1. Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quippe qui characterem imprimant, iterari nequeunt.

§ 2. Si vero prudens dubium existat num revera aut num valide collata fuerint, censenda sunt non fuisse collata, ita ut conferri debeant.

Can. 4 (novus)

Administratio sacramentorum, utpote actio Ecclesiae, quantum fieri possit, cum actuosa communitatis participatione celebretur (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 26-27).

Can. 5 (CIC 733)

§ 1. In sacramentis ministrandis ac suscipiendis accurate serventur ritus et caeremoniae quae in libris liturgicis a competenti auctoritate probatis praecipuntur (cf. Conc. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 63).

§ 2. Minister sacramenta conferat secundum proprium ritum, salvis praescriptis cann. ...

Can. 6 (CIC 734)

§ 1. In ministrandis sacramentis, in quibus sacra olea adhibenda sunt, minister utatur oleis ab Episcopo benedictis, salvis exceptionibus iure admissis; olea adhibeat recenter benedicta, nec veteribus utatur, nisi necessitas urgeat.

§ 2. Olea de quibus in § 1 sint ex olivis aut aliis ex plantis.

Can. 7 (CIC 735)

§ 1. Parochus olea sacra a proprio Episcopo impetret eaque decenti custodia diligenter asservet.

§ 2. Cuilibet sacerdoti licet oleum infirmorum secumferre, ut, in casu necessitatis, unctionem infirmorum ministrare valeat.

Can. 8 (CIC 736)

Pro sacramentorum administratione minister nihil quavis de causa vel occasione, sive directe sive indirecte, petat, salvo praescripto can. 1507, § 1.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT

«DE PAENITENTIA»

(de quo in CIC cann. 870-910)

Can. 131 (CIC 870)

In sacramento paenitentiae per absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideles rite dispositi peccata confitentes veniam peccatorum quae post baptismum commiserint pacemque cum Ecclesia obtinent.

Caput I

DE ABSOLUTIONE SACRAMENTALI

Can. 132 (novus)

Individualis et integra confessio atque absolutio unicum constituunt modum ordinarium, quo fidelis peccati gravis sibi conscius se cum Deo et Ecclesia reconciliat, nisi impossibilitas physica vel moralis ab huiusmodi confessione excuset (cf. S. Congregatio pro Doctrina Fidei, *Normae past. de absolutione sacrament. gen.*, 16 iunii 1972, Norma I).

Can. 133 (novus)

Firmis praescriptis can. 134, absolutio pluribus insimul paenitentibus, sine praevia individuali confessione, generali modo impertiri potest, immo vel debet:

1° si immineat periculum mortis et tempus non suppetat sacerdoti vel sacerdotibus ad audiendas singulorum paenitentium confessiones, quo in casu praemittatur, si fieri possit, brevissima exhortatio ut actum contritionis quisque elicere curet;

2° si accedat gravis necessitas, videlicet quando, attento paenitentium numero, confessoriorum copia praesto non est ad rite audiendas singulorum confessiones intra congruum tempus, ita ut paenitentes, sine propria culpa, gratia sacramentali aut sacra communione diu carere cogantur; quo tamen in casu, christifideles de requisitis ad normam can. 134 moneantur (cf. *ibidem*, Norma II et III).

§ 2. Pluribus insimul paenitentibus absolutionem generali modo impertire non licet, cum confessoriorum copia praesto esse potest, solius magni poenitentium concursus ratione, qualis haberi potest in magna aliqua festivitate aut peregrinatione (*ibidem*, Norma III).

§ 3. Iudicium ferre an dentur condiciones ad normam § 1, 2° requisitae, pertinet:

1° ad Episcopum dioecesanum, collatis cum aliis membris Episcoporum Conferentiae consiliis, qui quidem generali quoque ordinatione casus talis necessitatis determinare potest;

2° ad quemlibet confessarium, si, praeter casus ab eodem Episcopo statutos, alia gravis exurgat necessitas sacramentalem absolutionem una pluribus impertiendi; quo tamen in casu sacerdos, ut licite absolutionem impertiat, obligatione tenetur, quoties possibile sit, praevis recurrendi ad loci Ordinarium; secus de huiusmodi necessitate ac de data absolutione eundem Ordinarium quam primum certiore faciat (*ibidem*, Norma V).

Can. 134 (novus)

§ 1. Ut christifidelis sacramentali absolutione una simul pluribus data frui valeat, requiritur non tantum ut sit apte dispositus, sed ut insimul sibi proponat singillatim debito tempore confiteri peccata gravia quae in praesens ita confiteri nequit.

§ 2. Caveat christifidelis, peccati gravis sibi conscius, ne, habita quidem copia confessoriorum, de industria aut negligentia obligationi confessionis individualis satisfacere declinet, occasionem qua absolutio simul pluribus detur expectans (*ibidem*, Norma VI).

Can. 135 (novus)

Firma manente obligatione de qua in can. 160, is cui communi absolutione gravia peccata remittuntur, ad confessionem auricularem accedat antequam novam huiusmodi absolutionem sit recepturus, nisi iusta causa impediatur (*ibidem*, Norma VII).

Caput II

DE SACRAMENTI PAENITENTIAE MINISTRO

Can. 136 (CIC 871)

Minister sacramenti paenitentiae est solus sacerdos.

Can. 137 (CIC 872)

§ 1. Ad validam peccatorum absolutionem requiritur ut minister, praeterquam potestate per ordinationem sacram recepta, facultate gaudeat eandem in determinatos fideles exercendi.

§ 2. Hac facultate donari potest sacerdos sive ipso iure sive speciali commissione ab auctoritate competenti facta ad normam can. 140.

Can. 138 (CIC 873 et novus)

§ 1. Facultate de qua in can. 137, § 1, ad potestatem absolvendi exercendam, praeter Romanum Pontificem, ipso iure ubique erga omnes fideles gaudent Cardinales; itemque Episcopi omnes, sive dioecesani sive non, qui quidem eadem et licite ubique utuntur, nisi loci Ordinarius in casu particulari renuerit.

§ 2. Ipso iure eadem facultate ubique erga omnes fideles potiuntur quoque presbyteri qui sive vi officii sibi collati facultate gaudent ad confessiones excipiendas in suo territorio, sive facultate ad confessiones excipiendas donati sunt commissione speciali Ordinarii loci in quo domicilium, eoque deficiente quasi-domicilium, habent, firmo praescripto can. 145, § 3; eadem vero facultate licite utuntur tantum servatis, ubi statuuntur, praescriptis a loci Ordinario editis.

§ 3. Ipso iure eadem facultate ubique potiuntur erga sodales sui Instituti, aliosque de quibus in can. 514, § 1, Moderatores clericalis Instituti perfectionis vi officii facultate gaudentes confessiones excipiendi suorum subditorum, tum presbyteri quilibet ab aliquo eiusdem Instituti Moderatore ad normam constitutionum competenti facultate pro eius subditis donati; qui quidem eadem et licite utuntur, nisi aliquis Moderator quoad proprios subditos in casu particulari renuerit.

Can. 139 (CIC 873, §§ 1 et 2)

§ 1. Vi officii pro sua quisque ditione facultate ad confessiones excipiendas gaudent loci Ordinarius, canonicus paenitentarius, itemque parochus aliique qui loco parochi sunt.

§ 2. Vi officii facultate gaudent confessiones excipiendi suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514, § 1 Moderatores Instituti clericalis perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis executiva fruentes.

Can. 140 (CIC 874 et 875)

§ 1. Solus loci Ordinarius competens est qui facultatem ad confessiones quorumlibet fidelium excipiendas commissione speciali conferat presbyteris quibuscumque; presbyteri autem sodales Institutorum perfectionis eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Moderatoris.

§ 2. Moderator clericalis Instituti perfectionis ad normam constitutionum potestate regiminis executiva in suos subditos gaudens, competens est qui facultatem ad excipiendas confessiones suorum subditorum aliorumque de quibus in can. 514, § 1 speciali commissione conferat presbyteris, tum sodalibus alicuius Instituti perfectionis tum saecularibus.

Can. 141 (CIC 877)

Loci Ordinarius, itemque Moderator clericalis Instituti perfectionis competens, facultatem ad confessiones habitualiter excipiendas ne concedat nisi presbyteris qui idonei per examen reperti fuerint aut de quorum idoneitate aliunde constet.

Can. 142 (CIC 874, § 2)

§ 1. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius presbytero saeculari, etsi domicilium vel quasi-domicilium in sua ditione habenti, ne concedat, nisi prius, quantum fieri possit, audito proprio eiusdem presbyteri Ordinario.

§ 2. Facultatem ad excipiendas habitualiter confessiones loci Ordinarius ne concedat sodali Instituti perfectionis qui a proprio Moderatore non praesentatur; ei vero qui a proprio Moderatore praesentatur sine gravi causa eam ne deneget, firmo tamen praescripto can. 141.

Can. 143 (CIC 878)

Facultas ad confessiones excipiendas a competenti auctoritate, de qua in can. 140, concedi potest ad tempus sive indeterminatum sive determinatum.

Can. 144 (CIC 879)

Facultas ad confessiones excipiendas, quantum fieri possit, scripto concedatur.

Can. 145 (CIC 880)

§ 1. Loci Ordinarius, itemque Moderator Instituti perfectionis competens, facultatem ad confessiones excipiendas habitualiter concessam ne revocet nisi gravem ob causam.

§ 2. Revocata facultate ad confessiones excipiendas a loci Ordinario de qua in can. 138, § 2, presbyter eandem facultatem ubique amittit: revocata eadem facultate ab alio loci Ordinario, eandem amittit in territorio revocationis tantum.

§ 3. Quilibet loci Ordinarius qui alicui presbytero revocaverit facultatem ad confessiones excipiendas, certiozem reddat Ordinarium ratione incarnationis presbyteri proprium aut, si agatur de sodali instituti perfectionis, eiusdem competentem Moderatorem.

§ 4. Ipso iure facultatem ad excipiendas confessiones admittit presbyter sodalis Instituti perfectionis, cui licentia ad confessiones excipiendas revocatur a Superiore ad normam constitutionum competenti.

§ 5. Ipso iure facultate ad confessiones excipiendas privatur sacerdos, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto.

Can. 146 (CIC 882)

Quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas facultate careat, quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibus vis peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus.

Can. 147 (novus)

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, supplet Ecclesia facultatem ad confessiones excipiendas requisitam.

Can. 148 (CIC 884)

Absolutio complicitis in peccato contra sextum Decalogi praeceptum invalida est, praeterquam in periculo mortis.

Can. 149 (CIC 886)

Si confessarius non dubitet de paenitentis dispositione et hic absolutio-
nem petat, absolutio ne denegetur nec differatur.

Can. 150 (CIC 894)

Qui confitetur se falso confessarium innocentem apud auctoritatem ec-
clesiasticam denunciasset de crimine sollicitationis ad peccatum contra sex-
tum Decalogi praeceptum, ne absolvatur nisi prius falsam denuntiationem
formaliter retractaverit.

Can. 151 (CIC, § 1)

Sacerdos, utpote misericordiae simul ac iustitiae divinae minister a Deo
constitutus, animo pastorali semper confessiones excipiat, ut quam maxi-
me honori divino animarumque saluti consultat.

Can. 152 (CIC 888, § 2)

Sacerdos in quaestionibus ponendis maxima cum prudentia et discre-
tione procedat, attenta quidem condicione et aetate paenitentis, abste-
neatque a quaestionibus quae ad aliarum personarum peccata attinent.

Can. 153 (CIC 887)

Pro qualitate et numero peccatorum, habita tamen ratione paenitentis
condicionis, salutare et convenientes satisfactiones confessarius iniungat;
quas paenitens per se ipse implendi obligatione tenetur.

Can. 154 (CIC 889)

§ 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare gravi obligatione te-
nentur confessarius itemque si detur, interpres, ne verbo aliove quovis mo-
do et quavis de causa prodant aliquatenus paenitentem.

§ 2. Gravi obligatione secretum servandi tenentur quoque omnes alii
ad quos ex confessione notitia peccatorum quoquo modo pervenerit.

Can. 155 (CIC 890)

§ 1. Omnino prohibetur confessario usus scientiae ex confessione acqui-
sitae, cum paenitentis gravamine, etiam quovis revelationis periculo excluso.

§ 2. Auctoritas quaelibet notitia quam de peccatis in confessione quovis tempore excepta habuerit, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti potest.

Can. 156 (CIC 891)

§ 1. Magister novitiorum eiusque socius, superior seminarii aliusve instituti educationis sacramentales confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni in casibus particularibus sponte et libere id petant.

Can. 157 (CIC 892)

§ 1. Omnis cui animarum cura vi muneris est demandata, gravi tenetur obligatione providendi ut excipiantur confessiones fidelium sibi commissorum, qui rationabiliter confiteri petant, utque iisdem opportunitas praebatur ad confessionem individuaalem, diebus ac horis in eorum commodum, statutis, accedendi.

§ 2. Urgente necessitate, quilibet confessarius obligatione tenetur confessiones christifidelium excipiendi, et in periculo mortis quilibet sacerdos.

Can. 158 (CIC 908)

§ 1. Ad sacramentales confessiones excipiendas locus proprius est ecclesia aut oratorium.

§ 2. Quae de sede confessionali praescribenda sint, ab Episcoporum conferentia regionis statuuntur.

Caput III

DE SACRAMENTI PAENITENTIAE SUBJECTO

Can. 159 (CIC 901-902)

§ 1. Christifidelis gravi tenetur obligatione confitendi omnia peccata gravia post baptismum perpetrata et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat.

§ 2. Commendatur christifidelibus ut etiam peccata venialia confiteantur, quae quidem materia sufficiens sunt sacramenti paenitentiae.

Can. 160 (CIC 906)

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, obligatione tenetur peccata sua gravia saltem semel in anno fideliter confiteri.

Can. 161 (CIC 903)

Non prohibetur quis, si velit, quominus per interpretem confiteatur, vitatis quidem abusibus et scandalis, firmo praescripto can. 154, § 1.

Can. 162 (CIC 905)

Cuivis christifideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus cui maluerit peccata confiteri, firmo praescripto can. 2, § 2.

APPENDIX II

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT
«DE UNCTIONE INFIRMORUM»
(de quo in CIC cann. 938-947)

Caput I

DE UNCTIONIS INFIRMORUM MINISTRO

Can. 183 (CIC 938)

§ 1. Unctionem infirmorum valide administrat omnis et solus sacerdos.

§ 2. Officium et ius unctionem infirmorum ministrandi habent parochus et vicarii paroeciales, sacerdos cui mandata est cura infirmorum vel senium in valetudinariis, necnon, quoad omnes in domo versantes, moderator communitatis in clericalibus Institutis perfectionis ac societatibus clericorum, atque cappellanus aliorum Institutorum perfectionis; in casu autem necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi, cappellani vel moderatoris, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum licite administrat.

Caput II

DE UNCTIONIS INFIRMORUM SUBIECTO

Can. 184 (CIC 940)

§ 1. Unctio infirmorum tantummodo ministrari potest fideli qui, post adeptum rationis usum, propter infirmitatem vel senium graviter aegrotat.

§ 2. Hoc sacramentum iterari potest, si infirmus, postquam convaluerit, denuo in gravem infirmitatem inciderit aut si, eadem infirmitate perdurante, discrimen gravius fiat.

Can. 185 (CIC 941)

In dubio an infirmus rationis usum attigerit, an gravis sit infirmitas qua afficitur aut an mortuus sit, hoc sacramentum ministretur.

Can. 186 (CIC 942)

Unctio infirmorum ne conferatur illis qui graviter deliquerunt et in contumacia manifesto perseverant.

Can. 187 (CIC 943)

Infirmis qui, cum suae mentis compotes essent, hoc sacramentum implicite saltem petierint, conferatur.

Can. 188 (CIC 180)

Quamvis unctio infirmorum per se non sit de necessitate medii ad salutem, fideles tempore idoneo illud recipiant; curent praesertim animarum pastores et infirmorum propinqui ut tempore opportuno hoc sacramento infirmi subleventur.

Caput III

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS UNCTIONIS INFIRMORUM

Can. 189 (CIC 945)

§ 1. Oleum in unctione infirmorum adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo aut a presbytero qui vi ipsius iuris aut peculiaris concessionis Sanctae Sedis hac facultate gaudet.

§ 2. Ipso iure, oleum adhibendum in unctione infirmorum benedicere possunt:

- 1° qui iure Episcopo dioecesano aequiparantur;
- 2° in casu verae necessitatis, quilibet presbyter.

Can. 190 (CIC 947)

§ 1. Unciones verbis, ordine et modo praescriptis in probatis liturgicis libris, accurate peragantur; in casu tamen necessitatis sufficit unctio unica in fronte, vel etiam in alia corporis parte, integra formula prolata.

§ 2. Unciones peragat minister propria manu, nisi gravis ratio usum instrumenti suadeat.

APPENDIX IV

SCHEMA CANONUM QUI IAM PROBATI SUNT «DE ORDINE»

(de quo in CIC cann. 948-1011)

Can. 191 (CIC 948)

Sacramento ordinis ex Christi institutione inter christifideles quidam constituuntur sacri ministri seu clerici, qui nempe eodem consecrantur et deputantur ut in persona Christi munera adimplentes Evangelium annuntiandi, christifideles regendi et divinum cultum celebrandi, Dei populum pascant.

Can. 192 (CIC 949)

Ordines sunt episcopatus, presbyteratus et diaconatus.

Caput I

DE SACRAE ORDINATIONIS MINISTRO

Can. 193 (CIC 951)

Sacrae ordinationis minister est Episcopus consecratus.

Can. 194 (CIC 953)

Cum membrum Collegii Episcoporum quis constituatur vi sacramentalis consecrationis et hierarchica communione cum Collegii Capite et membris, nulli Episcopo licet quemquam consecrare in Episcopum, nisi prius constet de pontificio mandato (cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 22; Decr. *Christus Dominus*, n. 4).

Can. 195 (CIC 954)

Nisi a Sede Apostolica dispensatum fuerit, Episcopus consecrator principalis in consecratione episcopali duos saltem Episcopos consecrantes sibi adiungat; convenit autem ut omnes Episcopi praesentes una cum iisdem electum ordinent.

Can. 196 (CIC 955)

§ 1. Unusquisque ad presbyteratum aut diaconatum a proprio Episcopo ordinetur aut cum legitimis litteris dimissoriis.

§ 2. Episcopus proprius, iusta de causa non impeditus, per se ipse suos subditos ordinet; sed subditum orientalis ritus, sine apostolico indulto, licite ordinare non potest.

Can. 197 (CIC 957)

Vicarius et Praefectus apostolicus, Abbas et Praelatus proprio territorio praepositus, Administrator apostolicus, itemque Praelatus Praelaturae personali praepositus, si caractere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem conferendam.

Can. 198 (CIC 956)

Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem clericorum saecularium, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus per diaconatum est incardinatus; quod attinet ad ordinationem eorum qui nondum sunt diaconi et clero saeculari adscribi intendunt, est Episcopus dioecesis, in qua promovendus habet domicilium, aut dioecesis in qua habet originem, aut dioecesis cui, de consensu Episcopi dioecesis domicilii, promovendus sese devovere intendit.

Can. 199 (CIC 958)

§ 1. Litteras dimissorias pro saecularibus dare possunt:

1° Episcopus dioecesanus proprius de quo in can. 198, postquam

possessionem suae dioecesis legitime coeperit ad normam can. 2 (de Episcopis dioecesanis: CIC 334, § 3);

2° Vicarius generalis et Vicarius episcopalis, ex speciali tamen Episcopi dioecesani mandato;

3° Administrator apostolicus atque, de consensu collegii consultorum de quo in can. 11 (de consilio presbyterali), Administrator dioecesanus;

4° Vicarius et Praefectus apostolicus, atque Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus, Abbas vel Praelatus proprio territorio praefectus, itemque Praelatus personali praepositus, licet episcopali characterere careant.

§ 2. Administrator dioecesanus, Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolicus litteras dimissorias ne concedant iis quibus ab Episcopo dioecesano aut a Vicario vel Praefecto apostolico accessus ad ordines denegatus fuerit.

Can. 200 (CIC 964)

§ 1. Uni Moderatori maiori Instituti perfectionis iuris pontificii aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi gaudentis, competit ut suis subditis iuxta constitutiones permanentes Instituto aut Societati adscriptis concedat litteras dimissorias ad diaconatum et ad presbyteratum.

§ 2. Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis Instituti perfectionis aut Societatis facultate sibi clericos adscribendi donatae, regitur iure saecularium, revocato quolibet privilegio contrario.

Can. 201 (CIC 959)

Qui potest litteras dimissorias ad ordines recipiendos dare, potest quoque eosdem ordines per se ipse conferre, si characterere episcopali polleat.

Can. 202 (CIC 960)

Litterae dimissoriae ne concedantur, nisi habitis antea omnibus testimoniis, quae iure exiguntur ad normam can. 233.

Can. 203 (CIC 961)

Litterae dimissoriae mitti possunt ad quemlibet Episcopum communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tantum, circa apostolicum indultum, Episcopo diversi ritus a ritu promovendi.

Can. 204 (CIC 962)

Episcopo ordinanti constare debet litteras dimissorias, tum pro saecularibus tum pro sodalibus Institutorum perfectionis, esse authenticas atque ad normam iuris concessas.

Can. 205 (CIC 963)

Litterae dimissoriae possunt ab ipso concedenti aut ab eius successore limitibus circumscribi aut revocari, sed semel concessae non extinguuntur resolutio iure concedentis.

Caput II

DE SACRAE ORDINATIONIS SUBIECTO

Can. 206 (CIC 968)

§ 1. Sacram ordinationem valide recipit solus vir baptizatus.

§ 2. Licite ordinatur qui, ad normam iuris, probatione peracta, debitis qualitatibus, iudicio proprii Episcopi aut Moderatoris maioris competentis, praeditus sit, nulla detineatur irregularitate nulloque impedimento, atque praerequisita, ad normam cann. 212-217, 219-220 adimpleverit.

Can. 207 (CIC 971)

Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet causam, ad ordines recipiendos cogere, vel canonice idoneum ab iisdem recipiendis avertere.

Can. 208 (CIC 969)

§ 1. Licite non ordinatur nisi candidatus qui, Superioris legitimi iudicio, pro Ecclesiae ministerio utilis habetur.

§ 2. Episcopo ordinanti proprium subditum, qui servitio alius dioecesis destinetur, constare debet ordinantum alteri dioecesi, ad normam can. ..., addictum iri.

Can. 209 (CIC 970)

Proprius Episcopus vel Moderator maior ad normam can. 200 competens nonnisi ex causa canonica, licet occulta, potest diaconis sibi subditis ascensum ad presbyteratum interdicere, salvo iure recursus ad Apo-

stolicam Sedem vel, si agatur de sodalibus Instituti perfectionis, quibus ascensum interdixerit Moderator proprius, ad Moderatorem quoque generalem.

Can. 210 (CIC 972)

§ 1. Adspirantes ad presbyteratum debite ad vitam spiritualem eidem convenientem et ad officia ei propria efformentur in seminariis maioribus secundum praescripta can. ...

§ 2. Qui extra seminarium legitime commorantur, ab Ordinario committantur curae pii et idonei sacerdotis, qui invigilet ut ad vitam spiritualem et ad disciplinam sedulo efformentur.

Can. 211 (novus)

§ 1. Adspirantes ad diaconatum permanentem:

1° iuvenes per tres saltem annos in peculiari degant collegio, in quo ad vitam vere evangelicam ducendam informantur atque ad officia eidem ordini propria rite exsequenda instruantur;

2° maturioris aetatis viri, sive coelebes sive matrimonio coniuncti, aliquamdiu, secundum normas ab Episcoporum conferentia regionis ecclesiasticae aut districtus regionalis statutas, in peculiari instituantur Collegio, ut ea omnia addiscant quae ad munus diaconale digne implendum opus erunt (cf. m.p. *Sacrum diaconatus ordinem*, II, nn. 6-7; III, nn. 14-15).

§ 2. Qui vero eorum, ob specialia adiuncta, extra collegium legitime formationem recipiant, ab Ordinario commendentur pio et idoneo sacerdoti, qui curam eorum agat eosque edoceat et ad munus diaconale rite implendum efformet.

Art. 1: DE REQUISITIS IN SUBJECTO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 212 (CIC 974, § 1)

Licite ad ordines promovetur tantum qui receperit sacrae confirmationis sacramentum, quippe quo baptizatus, iam perfectius Ecclesiae vincula- tus et ad fidem testandam arctius obligatus cum sit, ministerio Ecclesiae hierarchico participando magis fiat aptus.

Can. 213 (CIC 974; § 1, et 984, 1°)

Ad ordines promoveantur ii soli qui, iudicio Episcopi dioecesanii aut Moderatoris maioris competentis certo, omnibus perpensis adiunctis, bona gaudeant existimatione, integris moribus atque qualitatibus, physicis et psychicis, ordini recipiendo congruentibus.

Can. 214 (novus)

§ 1. Ad diaconatum vel presbyteratum aspirans, diaconus ne ordinetur, nisi qui prius, ad normam §§ quae sequuntur, admissionem inter candidatos ad eosdem ordines obtinuerit; ad eandem tamen admissionem obtinendam non tenetur qui per vota aut alia sacra ligamina cooptatus est in clericali Instituto perfectionis aut Societate clericorum.

§ 2. Ad eandem admissionem obtinendam requiritur libera aspirantis petitio, propria manu exarata et subscripta, necnon competentis auctoritatis ecclesiasticae acceptatio scripto data, vi cuius Ecclesiae electio efficitur.

§ 3. Auctoritas pro eadem acceptatione competens est Episcopus dioecesanus de quo in can. 198, et pro sodalibus sui Instituti aut Societatis Moderator maior de quo in can. 200.

§ 4. Admissio inter candidatos ad diaconatum fit cum ritu liturgico, peragendo ab auctoritate ecclesiastica, de qua in § 3.

§ 5. Inter candidatos ad diaconatum transeuntem ne admittatur nisi qui vigesimum saltem aetatis annum expleverit et studiorum philosophico theologicorum curriculum coeperit (cf. m.p. *Ad pascendum*, I et III).

Can. 215 (novus)

§ 1. Candidatus ad diaconatum, sive permanentem sive transeuntem, ministeria lectoris et acolythi, nisi eadem iam receperit, prius debet recipere et per congruum tempus exercere, nisi a Sancta Sede dispensatio concessa sit.

§ 2. Inter acolythatus et diaconatus collationem intervallum intercedat sex saltem mensium, nisi ab Episcoporum conferentia illud protrahendum statuatur (cf. m.p. *Ad pascendum*, II et IV).

Can. 216 (novus)

Candidatus, ut ad ordinem diaconatus aut presbyteratus promoveri possit, Episcopo dioecesano de quo in can. 198, aut Moderatori maiori de

quo in can. 200 declarationem tradat propria manu exaratam et subscriptam, qua testificetur se sponte ac libere sacrum ordinem suscepturum atque se ministerio ecclesiastico perpetuo mancipaturum esse, insimul petens ut ad ordinem recipiendum admittatur.

Can. 217 (novus)

Candidatus ad diaconatum, qui non sit uxoratus, item candidatus ad presbyteratum, ad diaconalem ordinationem ne admittatur, nisi qui ritu praescripto publice coram Deo et Ecclesia obligationem coelibatus assumpserit, aut, si eandem publice iam assumpserit, renovaverit.

Can. 218 (CIC 973, § 2)

Admissus ad ministeria, de quibus in can. 215, qui diaconatum recipere recuset, itemque diaconus qui ad presbyteratum promoveri renuat, non possunt ad eosdem ordines recipiendos cogi, nec a ministeriorum receptorum ordinesve recepti exercitio prohiberi, nisi impedimento detineantur canonico aliave gravis, de iudicio Episcopi dioecesani aut Moderatoris maioris competentis, obsit causa.

Can. 219 (CIC 975)

§ 1. Presbyteratus ne conferatur nisi iis qui aetatis annum vigesimum quartum expleverint, et ita ut intervallum intercedat sex saltem mensium inter diaconatum et presbyteratum; qui ad presbyteratum destinantur, ad diaconalem ordinationem tantummodo admittantur post expletum aetatis annum vigesimum tertium.

§ 2. Ad diaconatum permanentem ne admittatur caelebs, qui scilicet lege caelibatus adstringitur, nisi post expletum vigesimum quintum saltem aetatis annum; qui matrimonio coniunctus est, nonnisi post expletum trigesimum quintum saltem aetatis annum, atque de uxoris consensu (cf. m.p. *Sacrum diaconatus ordinem*, II, n. 5; III, nn. 11-12).

§ 3. Integrum est Episcoporum conferentiis regionum ecclesiasticarum aut districtuum regionalium normam statuere, qua provector ad presbyteratum et diaconatum permanentem requiritur aetas (cf. Conc. Vat. II, Dec. *Optatam totius*, n. 12; m.p. *Sacrum diaconatus ordinem*, II, n. 5).

§ 4. Dispensatio ultra annum super aetate requisita ad normam §§ 1 et 2 Apostolicae Sedi reservatur.

Can. 220 (CIC 976)

§ 1. Nisi ob specialia adiuncta Episcoporum conferentia aliud statuerit, candidatus ad presbyteratum promoveri tantum potest ad diaconatum post expletum quintum curriculum studiorum philosophico-theologicorum annum.

§ 2. Episcopus dioecesanus statuere valet ut post expletum studiorum curriculum diaconi per tempus congruum in cura pastorali partem habeant, diaconalem exercentes ordinem, antequam ad presbyteratum promoveantur.

§ 3. Adspirans ad diaconatum permanentem ad hunc ordinem ne promoveatur nisi post expletum formationis tempus.

§ 4. Institutio theologica peragi debet in institutis a competenti auctoritate probatis, et secundum rationem studiorum pariter approbatam, salvo can. ... (praevidente possibilitatem dispensationis ab Episcopo).

Can. 221 (CIC 977 et 978, § 3)

Nemo potest, nisi de peculiari Romani Pontificis licentia, ad diaconatum et presbyteratum uno eodemque die promoveri, reprobata quavis consuetudine contraria.

Can. 222 (CIC 979-982)

§ 1. Omnes diaconi saeculares ordinentur titulo servitii Ecclesiae particularis cui sese stabiliter devovere intendunt, sub auctoritate Episcopi dioecesani.

§ 2. Huius tituli ratione, Episcopus dioecesanus curare debet ut debite consulatur diaconorum et presbyterorum honestae sustentationi utque provideatur eorundem congruenti cautioni et adsistentiae sanitariae, ad normam can. ... (de clericorum obligationibus et iuribus).

§ 3. Diaconi sodales Instituti perfectionis ordinentur tituli Instituti cui adscribuntur, sub auctoritate Moderatoris maioris, cuius est eorundem congruae sustentationi providere; eadem valet regula de diaconis qui alicui Societati sunt adscripti, nisi in dioecesi incardinentur.

Art. 2: DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Can. 223 (CIC 983)

A recipiendis ordinibus arcentur qui quovis perpetuo impedimento, quod venit nomine irregularitatis, aut aliquo simplici impedimento affi-

ciuntur; nullum autem impedimentum perpetuum, sive ex defectu sive ex delicto, nullumque simplex impedimentum contrahitur, nisi quae exprimentur in canonibus qui sequuntur.

Can. 224 (CIC 984)

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex defectu:

1° qui ob corporis debilitatem aut deformitatem convenienter altaris ministerio defungi non valet;

2° qui, iudicio peritorum, aliqua forma laborat amentiae aliusve psychici defectus, qua inhabilis reddatur ad ministerium rite implendum;

3° qui infamia iuris notatur.

Can. 225 (CIC 985)

Ad recipiendos ordines sunt irregulares ex delicto, sive publico sive occulto, dummodo delictum post baptismum fuerit perpetratum:

1° qui delictum commiserit de quo in can. 1325, quo nempe a plena communione Ecclesiae catholicae scienter et libere defecerit;

2° qui matrimonium attentare aut civile tantum inire ausus fuerit, vel ipsemet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut voto publico castitatis perfectae, etiam temporaneo, a matrimonio ineundo impeditus, vel cum muliere matrimonio valido coniuncta aut eodem voto adstricta;

3° qui voluntarium homicidium perpetraverit aut fetus humani abortum procuraverit, effectu secuto, omnesque positive cooperantes;

4° qui seipsum vel alium mutilaverit vel sibi vitam adimere tentaverit;

5° qui actum ordinis posuerit constitutis in ordine sacro reservatum, vel eodem carens, vel ab eius exercitio poena aliqua canonica prohibitus.

Can. 226 (CIC 987)

Sunt a recipiendis ordinibus simpliciter impediti:

1° vir uxorem habens, nisi ad diaconatum permanentem legitime destinetur;

2° qui officium vel administrationem gerit clericis vetitam cuius rationem reddere debet, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditus, liber factus sit;

3° neophytus, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probatus fuerit;

4° qui infamia facti laborat, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat.

Can. 227

§ 1. Ad exercendos ordines receptos sunt irregulares:

1° qui irregularitate ad ordines recipiendos dum afficitur, illegitime ordines receperit;

2° qui gravi corporis debilitate laborat, quatenus rite sacras functiones peragere non valeat;

3° qui infamia iuris notatur;

4° qui aliquod delictum commiserit de quo in can. 1325, si delictum est publicum;

5° qui aliquod delictum commiserit ex iis, de quibus in can. 225, nn. 2, 3, 4, 5;

6° qui, confessarii munere sacrilege abutens, sigillum sacramentale directe violaverit, aut complicem in peccato gravi contra VI Decalogi praeceptum absolverit vel paenitentem ad idem peccatum sollicitaverit;

§ 2. Ab ordinibus exercendis impediuntur:

1° qui impedimento ad ordines recipiendos dum detinetur, illegitime ordines receperit;

2° qui infamia facti laborat, donec ipsa cessaverit;

3° qui amentia aliove defectu psychico de quo in can. 224, n. 2, afficitur, usquedum Ordinarius, consulto perito, eiusdem ordinis exercitium permiserit.

Can. 228 (CIC 988)

Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non eximit.

Can. 229 (CIC 989)

Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorundem causis, non autem ex repetita eadem causa, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario aut ex procurato fetus humani abortu, effectu secuto, aut ex abusu muneris confessarii de quo in can. 227, § 1, n. 6.

Can. 230 (CIC 990)

§ 1. Uni Apostolicae Sedi reservatur dispensatio ab omnibus irregularitatibus, si factum quo innituntur ad forum iudiciale deductum fuerit.

§ 2. Eidem etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos qui sequuntur:

1° ab irregularitatibus ex delicto publico de quibus in can. 225, nn. 1 et 2;

2° ab irregularitate ex delicto sive publico sive occulto de quo in can. 225, n. 3;

3° ab impedimento de quo in can. 226, n. 1.

§ 3. Apostolicae Sedi etiam reservatur dispensatio ab irregularitatibus ad exercitium ordinis suscepti de quibus in can. 225, n. 2, in casibus publicis tantum, atque in eodem canone, n. 3, necnon in can. 227, § 1, n. 6 etiam in casibus occultis.

Can. 231 (CIC 990, § 2)

In casibus occultis urgentioribus, si adiri nequeat Episcopus, aut quando de irregularitatibus agatur de quibus in can. 225, n. 3 et 227, § 1, n. 6 S. Paenitentiarum, et si periculum immineat gravis damni aut infamiae, potest qui irregularitate ab ordine exercendo impeditur eundem exercere, firmo tamen manente onere quamprimum recurrendi ad Ordinarium aut S. Paenitentiarum, reticito nomine et per confessarium.

Can. 232 (CIC 991)

§ 1. In precibus ad obtinendam irregularitatum ac impedimentorum dispensationem, omnes irregularitates ac impedimenta indicanda sunt; at tamen, dispensatio generalis valet etiam pro reticitis bona fide, exceptis irregularitatibus de quibus in can. 225, n. 3 et 227, § 1, n. 6, aliave ad forum iudiciale deducta, non autem pro reticitis mala fide.

§ 2. Si agatur de irregularitate ex voluntario homicidio aut ex procurato foetus humani abortu aut ex abusu confessarii de quo in can. 227, § 1, n. 6, etiam numerus delictorum ad validitatem dispensationis exprimentus est.

§ 3. Dispensatio generalis ab irregularitatibus et impedimentis ad ordines recipiendos valet pro diaconatu et presbyteratu.

Caput III

DE IIS QUAE SACRAE ORDINATIONI PRAEIRE DEBENT

Can. 233 (CIC 993)

§ 1. Ut Episcopus aut Moderator maior aliquem ad ordines recipiendos admittat, requiritur ut habeat documenta quae in § 2 recensentur atque, peracto ad normam § 3 scrutinio, moraliter certus sit candidatum iis qualitatibus esse ornatum quae ad ministerium ordinis rite et fructuose exercendum requiruntur, et eundem nullis adstrictum esse irregularitatibus et impedimentis canonicis.

§ 2. Documenta quae requiruntur sunt sequentia:

1° si agatur de ordinandis ad presbyteratum, testimonium recepti diaconatus;

2° si agatur de promovendis ad diaconatum, testimonium recepti baptismi et confirmationis, atque receptorum ministeriorum de quibus in can. 215; item testimonium factae declarationis de qua in can. 216, necnon, si ordinandus sit uxoratus qui promovendus est ad diaconatum permanentem, testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris.

3° testimonium de studiis rite peractis ad normam can. 220, §§ 1 et 3.

§ 3. Ad scrutinium de qualitatibus in ordinando requisitis quod attinet, servantur praescripta quae sequuntur:

1° habeatur testimonium rectoris seminarii vel domus formationis aut, si extra seminarium candidatus institutus fuerit, sacerdotis cuius curae commissus fuit, de eiusdem qualitatibus ad ordinem recipiendum requisitis, scilicet de eius recta doctrina, genuina pietate, bonis moribus atque aptitudine ad ministerium exercendum; itemque, rite peracta inquisitione, de candidati statu valetudinis physicae et psychicae;

2° si id expedire iudicet, Episcopus aut Moderator maior de iisdem candidati qualitatibus deque eius libertate ab omni impedimento canonico, testimoniales petat litteras ab Episcopo alius dioecesis aut Moderatoris maiore alius provinciae Instituti perfectionis aut Societatis, in qua candidatus postquam aetatis annum decimum quartum expleverit commoratus sit;

3° in paroeciis in quibus candidatus post expletum aetatis annum decimum quartum domicilium aut quasi-domicilium habuerit, publicationes nominis promovendi ad ordine fiant, si ita praescripserit Episcoporum conferentia regionis aut districtus regionalis, atque modo ab eadem conferentia definito;

4° Episcopus aut Moderator maior, ut scrutinium rite peragatur, alia quoque potest adhibere media, quae, pro temporis et loci adiunctis, sibi utilia videantur.

Can. 234 (CIC 996)

Curet Episcopus aut Moderator maior ut candidatis, antequam ad ordinem aliquem promoventur, instructiones dentur quibus rite edoceantur in iis qua ad ordinem pertinent.

Can. 235 (CIC 997)

§ 1. Ut Episcopus ordinationem iure proprio conferens ad eam procedere possit, ipsi constare debet documenta de quibus in can. 233, § 2, praesto esse atque, scrutinio ad normam iuris peracto, idoneitatem candidati esse probatam.

§ 2. Ut Episcopus ad ordinationem procedat alieni subditi, sive saecularis sive sodalis Instituti perfectionis, sufficit ut litterae dimissoriales referant eadem documenta praesto esse, scrutinium ad normam iuris esse peractum atque de idoneitate candidati constare; quodsi promovendus sit sodalis Instituti perfectionis aut Societatis, eadem litterae insuper testari debent eundem cooptatum fuisse et esse subditum Moderatori qui dat litteras.

§ 3. Si illis non obstantibus, ob certas rationes Episcopus dubitat num candidatus sit idoneus qui ad ordines promoveatur, eundem ne promoveat.

Can. 236 (CIC 1001)

Omnes qui ad aliquem ordinem promovendi sunt, exercitiis spiritualibus vacent, loco et modo ab Ordinario determinantis; et Episcopus, antequam ad ordinationem procedat, certior factus esse debet candidatos rite iisdem exercitiis vacasse.

Caput IV

DE TEMPORE ET LOCO SACRAE ORDINATIONIS

Can. 237 (CIC 1006)

§ 1. Ordinatio episcopalis intra Missarum sollemnia cum christifidelium quam maxima frequentia celebretur, die dominico vel festo de praeepto, nisi rationes pastorales alium diem, festum Apostolorum praesertim, suadent.

§ 2. Ceterae ordinationes intra Missarum sollemnia cum christifidelium quam maxima frequentia celebrentur, die dominico vel festo de praeepto, sed ob rationes pastorales aliis etiam diebus, ferialibus non exceptis, fieri possunt.

Can. 238 (CIC 1007)

Quoties ritus ordinationis reiterandus sit vel aliquis ritus supplendus, id quolibet die ac secreto fieri potest.

Can. 239 (CIC 1008)

Episcopus extra propriam ditionem nonnisi cum licentia loci Ordinarii ordines conferre potest.

Can. 240 (CIC 1009)

Ordinationes in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque canonicis, vocatoque clero civitatis celebrentur; ob rationes tamen pastorales in alia dioecesis ecclesia aut oratorio celebrari possunt, vocato saltem clero loci, immo, iusta de causa, in sacello domus episcopalis.

Caput V

DE ADNOTATIONE AC TESTIMONIO PERACTAE ORDINATIONIS

Can. 241 (CIC 1010)

§ 1. Expleta ordinatione, nomina singulorum ordinandorum ac ministri ordinantis, locus et dies ordinationis notentur in peculiari libro in curia loci ordinationis diligenter custodiendo, et omnia singularum ordinationum documenta accurate serventur.

§ 2. Singulis ordinatis det Episcopus ordinans authenticum ordinationis receptae testimonium, qui, si ab Episcopo extraneo cum litteris dimissoriis promoti fuerint, illud proprio Ordinario exhibeant pro ordinationis adnotatione in speciali libro in archivo servando.

Can. 242 (CIC 1011)

Loci Ordinarius, si agatur de saecularibus, aut Moderator maior competens, si agatur de suis subditis, notitiam uniuscuiusque celebratae ordinationis transmittat ad parochum loci baptismi, qui id adnotet in suo baptizatorum libro ad normam can. 470, § 2.